
VEXILLVM CARMELITARVM
ZELO ZELATVS SVM PRO DOMINO DEO

# DECRETA
## PROCONSERVANDA, ET AMPLIFICANDA VITÆ REGVLARIS
obseruantia, necnon pro gubernãdi vniformitate in Hispaniæ,& Lusitaniæ Prouincijs Ordinis Carmelitarum inducenda.

PER REVERENDISSIMVM M. IOANNEM Stephanum Chizzolam Priorem Generalem, Visitatorem, & Commissarium Apostolicum eiusdem Ordinis edita, in solenni dictarum Prouinciarum visitatione:de Consilio Reuerendorum Magistrorum Alphij Mathioli Procuratoris Generalis in Romana Curia, et Ferdinandi Suarez Procuratoris in curia Catholici Regis, sociorum Reuen. Generalis, Consultis etiam omnibus Hispaniæ, et Lusitaniæ Prouincialibus, et multis alijs Doctissimis viris.

HISPALI. 1595.

Frater Ioannes Stephanus Chizzola Cremō-nensis sacræ Theologiæ Magister totius Ordinis fratrū et sororum gloriosissimæ Dei genitricis semperq; virginis Mariæ de Monte Carmeli humilis Prior Generalis, necnon Commissarius, ac Visitator Appostolicus; Dilectis nobis in Christo Reuerendis Prouincialibus, Prioribus, Magistris et cęteris fratribus eiusdē ordinis in Hispania commorantibus, salutem in Domino, et paternæ dilectionis affectum, ac per salutaris obedientiæ meritū ad Regnum æternū fœlicissimè peruenire.

CVM PRIMVM, nostris debilibus humeris graue, et magnū gubernandæ Carmelitanæ familiæ onus fuit impositum: omnem operam studium, diligentiam, industriamq; nostram in restaurando antiquo nostrę Religionis splēdore posuimus. Quod et vt debitum sortiretur effectum: et nostro muneri de esse minime videremur, omnes sacri Ordinis nostri Prouincias, ad quas, his periculosissimis tēporibus, tutus pateret accessus: decreuimus per nos metipsos inuisere. Peragrauimus iā maximā Hispaniæ partem, totamq; ferè Lusitaniam. Curauimus, quantum in nobis fuit, ad optimam viuendi normam, nobis ab antiquioribus prescriptā Patribus, Regulares omnes nostros reducere, et presertim in id totis uiribus intendimus, vt diuinus cultus in dies augeretur, litterarum studia florerēt, Iuuenes bonis moribus imbue

imbuerentur, et vt Monasterijs gubernandis sana præficerentur capita, vt è capitibus sanis sanitas diffundatur in membra. Sed inter omnia illud magis ad reformationem conseruandam, necessarium fore judicauimus: si in omnibus, fratres nostri vniformes inueniantur: præsertim cũ in priscis nostri Ordinis annalibus, tempore scilicet Bertholdi bonæ memoriæ olim Prioris Generalis, et in Cap. Generali in monte Carmeli celebrato, hanc vniformitatem maximoperè cõmendatam reperiamus in hæc aurea verba. Quoniam ex præcepto sanctorum patrũ jubemur habere cor vnũ, et animam vnam in Domino: et quia justũ est, ut sub vna regula viuentes, vniformes in necessarijs uitę nostræ obseruantijs inueniamur. Ordinamus vt tám in officio Ecclesiastico, quám in vestimentis, et in omnibus obseruantijs, vniformes inueniamur. Mittimus igitur ad vos Fatres, et Patres Charissimi, hęc salutaria statuta ad hanc vniformitatem in Hispaniæ, & Lusitaniæ Prouincijs introducendã, maximè spectantia, quæ quidem partim ex ore S. D. N. Clemẽtis. VIII. uiuæ vocis oraculo accepimus, partim ex reformatione, quę eiusdem S. D. N. mandato Romæ facta est, partim ex saluberrimis Nunciorum Apostolicorum statutis, partim ex decretis Generalium commitiorum, et præsertim ex Capitulo Generali Cremonę celebrato: partimq; ex laudabilibus Prouinciarum, quas peragrauimus, consuetudinibus partim ex his, quæ experientia Magistra pro reformatione conseruanda necessaria didiscimus. Hortamur, et obseruamus in Domino vt

hoc

hęc nostra statuta lętis animis suscipiatis, et debita obseruatione exequamini. Quod si feceritis, breui sacer Ordo noster, vobis coadiutoribus, in pristinum restituetur suæ dignitatis splendorem: & sancta Dei Ecclesia ex nostris, vestrisq; laboribus vberes percipiet fructus, Valete, et Deum pro me continuis exorate precibus. Ex nostro Hispalensi Carmelo die. 14. Septembris. 1595.

## INDEX CAPITVLORVM.

Dilecto filio Stephano Chizzolæ Priori Generali Ordinis Fratrum Carmelitarum.

# CLEMENS PP. VIII.

*DILECTE FILI salutem, & Appostolicam benedictionem. Cum tu propediem, ut incumbenti tibi muneri satisfacias, visitationem tui Ordinis Fratrum Carmelitarum in Regnis Hispaniarum primum, & deinde Fräciæ, & Germaniæ, aliorum Regnorum, & Prouinciarum Deo benedicente, aggredi, & prosequi intendas. Nos, vt huiusmodi visitationis munus ad Dei gloriam, & eiusdem Ordinis propagationem fælicius adimplere ualeas, te specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volētes, tibi, ultra tuas ordinarias facultates, ut etiā tanquam Commissarius, & Visitator Appostolicus vniuersum Ordinem præfatum Beatæ Mariæ de Monte Carmeló, eiusq; domos, Conuentus, Monasteria, & loca quęcunq; tàm virorum, quam mulierum in quibuscunq; Regnis, Prouincijs, & Dominijs consistētia visitare, ac in eorum singulorum tam, ritus, mores, instituta, Regulas, & statuta diligenter inquirere, eaq; tàm in capite, quàm in membris corrigere, & reformare, statuta quæcūq;, seu constitutiones pro huiusmodi reformatione necessarias, & opportunas, dum modo sacri Concilij Tridentini, & sacris Canonibus, ipsiusq; Ordinis regularibus institutis sint conformes, cendere, & obseruari mandare, antiquas veró per quoscunq; etiam sedis Apostolicæ Nūcios in dictis Hispaniarum Regnis forsan conditas maturè considerare, easq; si prædicti Ordinis Regulis, & constitutionibus contrarias esse repereris, cassare, et annullare, ac alia omnia, & singula, quæ pro dicta reformatione necessaria fore judicaueris, præfatis Ordinis Regulis: & constitutionibus inherendo, statuere, ordinare, facere, & exequi. Nec non cum quibus uis eiusdem tui Ordinis Religiosis super irregularitatibus occultis tantum, etiam occasione susceptorum ante legitimam ætatem sacrorum Ordinum, aut quia mulieres sæculares, intra eorum claustra (non tamen ad malum usum introduxerunt) contractis, præuia, si opus fuerit, salutari absolutione, cum pœnitentiæ item*

*salutaris.*

*ſalutaris, arbitrio tuo impoſitione, in foro cõſcientiæ diſpenſare, auctoritate noſtra poſsis, & valeas, plenam, & liberam, durante huiusmodi viſitatione dumtaxat; facultatem auctoritate Appoſtolica; tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtãtibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Appoſtolicis, ac eiusdem Ordinis, & quarumcunq; illius Domorum, etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel qua uis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæterisq, contrarijs quibuscunq;. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annullo piſcatoris, die. V. Martij. 1584. Pontificatus noſtri Anno tertio.*

M. Veſtrius Barbianus.

# CAPVT PRIMVM DE OFFICIO DIVINO & Ecclesia, & Sacristia.

NIHIL ANTIQVIS APVD PRISCOS illos Patres nostros montis Carmeli habitatores fuisse cognotum us: quam ut in diuinis psallēdis laudibus assidui maximé inuenirentur. Continet enim frequens diuinarum laudum decantatio cultū Dei, Sanctorum laudes, & eorum, qui canunt, quiq; audiunt, fructum: excitatq, in hominum animis acerrimos quosdam stimulos quibus incitantur, vt desidiam suam erga Deum pura mēte colendum cognoscant, recogitentq,, quam longé à perfectione antiquorum patrum absint. Quare cum graduatorum numerus in his Prouincijs, Priorum negligentia, Priuilegiatorumq; absus adeo excreuerit, vt Ecclesia suo debito defraudetur seruitio:

1. Statuimus, & ordinamus, vt deinceps nullus cuiuscūq; gradus existat, per quodcunq; priuilegiū á choro eximatur, vel exemptus intelligatur, sed non obstante quacunq, consuetudine, priuilegio, aut constitutione antiqua de mandato speciali Sanctissimi D.N. Clementis. viij. omnes in chorum conueniant, & die, noctu q, diuinis officijs intersint, nisi sint lectores actu legētes, prædicatores actu prædicantes, duobus diebus ante diē prædicationis, ipsoq;

*Omnes chorū sequantur etiam graduati.*

die prædicationis, ac infirmi, & valetudinarij. Verum, vt laborũ aliqua ratio habeatur, declaramus eos qui iam quinquagesimum suæ ætatis annum compleuerunt, & per triginta annos Religioni inseruierunt, à choro, nocturno tantùm tempore exemptos: præterquam in festis maioribus duplicibus, quæ obseruantur ab Ecclesia. Illos vero qui peracto sexagesimo anno per quadraginta annos in Religione laudabiliter vixerant, etiam ab horis diurnis (missa maiori, vesperis, & completorio diebus sabbati, & vigiliarũ B.M. virginis exceptis) eximi volumus, & diffinimus. Qui vero annum quinquagesimũ in Religione compleuerunt, non cogantur ad diuina in choro persoluẽda, nisi in quantum conscientia dictauerit. Missam tamen celebrare tenebuntur, nisi sint legitimè impediti. Ex cap. Gē. Cr.

*Qui eximuntur à choro.*

2 IN tabula cõmuni omnes describantur, nullo ad hoc suffragante priuilegio, exceptis magistris, & actu legentibus, & actu prædicantibus per aduentum, & quadragesimam tantum: & qui per quadraginta annos Religioni inseruierunt. Ex cap. Gene. Cre.

*Oẽs scribãtur in tabula cõmuni exceptis aliquibus.*

3 Tempore diuinorũ officiorum non liceat Priori facultatem alicui concedere exeundi monasterium, nisi pro graui necessitate, vel negotio publico moram non patiẽte, ab ipso Priore cognoscendo. Qui vero ante licentiam exeũdi obtinuerit, domũ hora debita reuertatur, vt missæ & horis intersit, sub pœna leuis culpæ pro prima vice, & si in consuetudinem duxerit, grauior pœna ei applicetur: si in contemptũ tanquam inobediens puniatur. Ex c. G. Cr.

*Priori nõ liceat dare veniam exeundi tẽpore diuinorum officiorum.*

4. Diebus festis, præterquã á festo Inuentionis Sanctæ Crucis vsq, ad diem exaltationis eiusdem, Regulares nostri semper ad diuina officia cappas albas deferant: & inter reliquos nunquam sacristæ, eisdem diebus, Ecclesiam sine cappa alba ingrediãtur: omnibus vero diebus sabbati ad cõpletoriũ deferatur, á singulis fratribus cappæ albæ.

*Quãdo et qui, cappas albas deferre debẽt ad chorũ & Ecclesiam.*

5. Semper horæ matutinæ etiã tẽpore æstatis de nocte per-

*Matuti-*

persoluantur, exceptis tribus diebus ante pascha, & per totam octauam sacratissimi Corporis Christi sub pœna depositionis ab officio Priori, & Subpriori id permittentibus infligenda. Ex cap.Gene.Cre. *næ de nocte persoluenda.*

6 Indignum est viris Religiosis, quod in quibusdam Cõuentibus, fieri animaduertimus horas nempe matutinas ferialibus diebus media nocte recitari:in solemnibus verò festiuitatibus prima nocte, & statim post completoriũ: quod factum est, vt graduati & seniores commodius Matutinis interesse possent: sed quia hoc est magis graduatorum torpori indulgere quam solemnitatibus in seruire: ideò districtè præcipimus vt matutinę nocturno tempore semper celebrentur, sub pænis supra descriptis.

7 Officiũ paruum Beatę Virginis, officium mortuorũ, septem psalmi, quindecim graduales absoluantur publicè in choro cum officio maiori iuxta rubricas Breuiarij: nec vllus tunc temporis chorum egrediatur, sed omnes eidem officio intersint, secus facientes pro modo culpæ per Priorem corrigantur. Ex cap.Gene.Cre. *Parua offi cia dicẽda in choro cũ maiori.*

8 Non omittant Regulares nostri in horis canonicis ad primam legere Martyrologium nuper reformatũ iussu fel.re.Gregorij Papæ xiij. & eo tantum vti omni alio prætermisso, ad præscriptum dicti pontificis. Ex ca.G.Cre. *Martyrolo. Grego. in choro legẽdum.*

9 Non deferãtur libri etiam sacri in chorum, sed omnes cum deuotione psallant, & diuina persoluant. Imo quando in choro canendũ est, nullus aliud officiũ, vel orationes recitet. Quando pulsantur organa in choro, & cantantur psalmi in omnibus horis canonicis omnes fratres sedeant, eodem modo, quo de vltimo psalmo vesperarũ fuit ordinatum. Ex cap.Ge.Cre. *Non deferãtur libri in choro, & dũm cantantur psalmi pulsãtibus organis fratres sedeãt.*

10 Subprior omnes, qui nõ interfuerint horis canonicis, & missæ maiori singulis diebus annotet, & si qui absq; causa legitima præsentes non extiterint reuer. Priori, vel præsidenti in publico refectorio corrigendos denunciet, in quo *Subprior absentes à choro Priori corrigẽ.*

 quo

*dos denuntiet.* quo si Subprior non fuerit fidelis, & diligens ab officio absoluatur. Ex Cap. Gene. Cre.

*Oratio mētalis bis in die habeatur.* 11 Et cū homo á peccatis magis abstineat, quo actibus humanis expoliatus Deo proprius accedit, cotemplatioq; & oranio mentalis Deo hominem coniungat, vt religiosi nostri in hac sancta meditatione se se exerceant: statuimus quotidie bis post matutinas, & post completoriū vel hora conuenientiori tributum istud Deo persolui debere, ita vt facto signo omnes, nemine excepto, ad chorū conueniant, ibi q; per dimidium horæ orationi mentali, seu contemplationi vacēt, sub pæna priuationis vocis acti uæ, & passiuæ his, qui post trinam admonitionē interesse neglexerint. Ex Cap. Gene. Cre.

*Castigatoriæ disciplinæ quādo recipiēdę.* 12 Cui contēplationi, vt humilitatis virtus vniatur, volumus vt qualibet feria sexta per totum annum, ac in vigilijs ex pręcepto, & B. Virginis: In aduentu vero, & quadragesima, ferijs quarta, & sexta, disciplinas recipiant Regulares nostri manu propria hora magis opportuna, in quo si superiores negligentes fuerint ab officijs suis absolnātur.

*Sacerdotes in publico cōfiteantur.* 13 Sępius sacerdotes nostri ituri ad missæ celebrationē in aliorum exemplum in publico peccata sua cōfiteātur: & priusquam vestes sacras induant, missam, & omnia, quæ alta voce sunt dicturi, perlegant. Ex Cap. Gene. Cre.

*Reclinatoria accomodentur* 14 Accomodetur saltē vnū reclinatorium in minoribus ecclesijs, & duo ad minus in maioribus in sacristia, vbi sacerdotes celebraturi, orationes ante, & post missam recitare, & se se ad tantum sacrificium disponere, necnon vbi opus fuerit, peccatorum suorum confessionem facere valeant. Ex Cap. Gen. Cre.

*Celebraturi nō cōfabulētur in sacristia.* 15 Sacerdotes celebraturi, postquā sacras vestes induerint, non deambulent per sacristiam, neq; confabulentur, sed genu flexi misterium, ad quod accessuri sunt mediten tur, vel orationes aliquas pro deuotione excitanda recitent, negligentes q; pro modo culpæ puniantur.

Sa-

16 Sacristæ in schedula qualibet die oẽs sacerdotes celebrantes, fideliter, sub pœna depositionis ab officio descri bant, quam reuerendo Priori, vel præsidenti tradant, vt qui, cessante legitimo impedimento, non celebrauerint, puniantur. Ex Cap. Gene. Cre. *Sacristaan notat quotidie celebrãtes, & non celebrantes.*

17 Curent autẽ sacristæ, vt adsit semper vnus nouitius, aut professus, aut laicus, aut semifrater ex nostris Regula ribus cum cappa alba, etiam diebus ferialibus, qui semper altari assistat, ac sacerdoti celebranti tam in missis priuatis, quam in maiori, nisi adessent ministri parati, respõdeat, sub pœna depositionis ab officio tam sacristæ, si neglexerit, quam Priori, si non prouiderit. *Celebrãti adsit sacerdoti sẽper minister ex fratribus.*

18 Kyrie eleison alternatim dicatur á sacerdote, & cleri co missæ inseruiente, vt nostre præcipiunt constitutiones. *Alternatim Kirie dicantur.*

19 Quę secretò pronũtianda pręcipiunt nostrę rubricę, secretó etiam á sacerdote proferantur, & quæ clara voce, similiter: ideo verba, sanctus, debẽt clara voce exprimi: id circo nihil omnino addatur, neq; diminuatur tam quó ad ceremonias, quam quò ad recitanda in missa á principio vsq; in finem ex ijs, quæ in nostris rubricis præcipiuntur, volumus enim, vt vnicuiq; lex sit rubrica, non propria voluntas. *Inmissisni hil addatur ex deuotione sacerdotis.*

20 Quam obrẽ in vno quoq; conuẽtu Instituatur vnus magister ceremoniarum, & in maioribus saltum duo, qui diligenter per lectis rubricis, huic muneri potissimum in cumbent, vt omnes sacerdotes sint in celebratione missarum vniformes: qui si non audientur ab ijs, quos admonuerint, deferent ad Priorem, qui vti in hoc Comissarius noster, quemcunq; contumacem voce actiua, & passiua priuatũ declarabit, atq; ad Prouincialem, vt ei, de alio con uentu prouideat, transmittet. Nec in posterũ quis primã missam, seu, (vt aiunt) nouellam sub eadem pœna, celebra re audeat, nisi ab hoc edoctus & institutus. *Instituatur magister ceremoniarũ, & quod sit eius munus.*

21 Et quia munus versiculariorũ est versus dicere, à ver *Quod sit*

 siculario

*versicula-riorum officium.* ficulario dicitur, *Ora pro nobis*, post salue regina, & versus, *Gaude & letare*, post Regina cœli, tempore paschali. Sacerdos vero respondebit, *vt digni efficiamur*, & *quia surrexit Dominus*, iuxta qualitatem temporis. Qui versus autem debeant á sacerdote pronuntiari, scriptum reperitur in rubricis.

*Euangeliũ in principio erat verbũ semper recitãdũ in fine missæ.* 22 Benedictionem super populum dicant sacerdotes voce, qua possint ab astantibus audiri, & iidem, si nullo eo die habebitur Euangelium proprium recitandum, semper pronuntient initium Euangelij sancti Ioannis, nempe, in principio erat verbum, stando ad altare, & flectant genua cũ dicent, *& verbum caro factum est*, sicut genu flectere debent fratres in choro dũ dicitur, & homo *factus est.*

*Pro quibus orãdũ est quotidie.* 23 Dum missæ celebrantur, fiat quotidie peculiaris mẽtio pro summo Pontifice, pro Prælatis, pro pace vniuersę Ecclesiæ, pro inuictissimo Rege nostro catholico, Serenissimo principe, & tota Regia prole, pro nobis, & Ordine nostro, recitando, tam in fine vltimæ collectę, quam in fine vltimæ post cõmunionis, verba, quæ ad hoc sunt per omnes conuentus diuulgata, & ordinata.

*Cereus accẽdatur dũ eleuatur Sanctissi. Sacramẽ.* 24 Cum eleuatur sanctissimum sacramentum semper adsit cereus, seu funale accensum pro reuerentia tanti sacramenti, pro vt vbiq; per totam religionem nostram, sic mandamus.

*Nullus qui nõ. ẽ. in sacris tãgat res sacras* 25 Nullus ex nostris regularibus, qui non est in sacris ordinibus constitutus audeat res sacras, vt calices, patenas corporalia, purificatoria, lapides q; sacros tangere, pro vt in sacris Canonibus præcipitur.

*Ponatur in quolibet altari tabella sacri cõuiuij.* 26 In quolibet altari ponatur tabella consueta sacri conuiuij pro secretis, Gloria in excelsis, Credo, & alijs recitandis. Poterunt autem imprimi in qualibet Prouincia de mandato Reuerendi Prouincialis, & ad omnes Prouinciæ conuentus transmitti.

*Sacristæ* 27 Sacristæ sint modesti, & humiles in omnibus, quod si aliquis

aliquis ex illis verba iniuriosa, aut etiam ad indignationē prouocantia, contra aliquē sæcularē in sacristia, vel Ecclesia proferre ausus fuerit, statim officio priuetur. Ex c. g. C. *sint modesti cum sæcularibus*

28 Adhibeatur exacta diligentia, vt Ecclesiæ saltem bis in hebdomada, & si opus fuerit, etiam quotidie, ab omni expurgetur immunditia, tam in parietibus quam in pauimento, & quolibet mense in tecto, in quo si negligentes fuerint sacristæ, puniantur pro modo culpæ á reuerendo Priore: quod si Prior neglexerit, tam ipse, quam sacrista, á suis absoluantur officijs, & de hoc clauarij certiorem faciant patrem Ordinis. Ex Cap. Gene. Cre.

29 Altaria, quæ in nostris Ecclesijs constructa reperiuntur lignea, destruantur, & ex lateribus, quam primum construantur, vel ex lapidibus. Ex Cap. Gen. Cre.

30 Altaria, quotidie à puluere, & aranearū telis purgentur, & vbi missę fuerint finitę, co operiatur aliquo pāno.

31 Curet sacrista, vt á puluere etiam subtus scabellum emūdetur. Neq; enim decet, vt circa mensam domini immūditię cōspiciātur, scabella altariū, vbi opus est, reficiantur, & denuo ædificentur.

32 Altaria sint tribus tobaleis distinctis pallijs, candelābris, lapidibus sacris, scabellis, Cruceq; & alijs necessarijs ornata quotidie. Ex Cap. Gen. Cre.

33 Quælibet hebdomada purgentur ab immunditijs vasa, in quibus reponitur aqua benedicta, sub pœna grauioris culpę per tres dies sacristis negligētibus. Ex ca. G. Cre.

34 Mādamus sacristis sub pœna depositionis ab eorū officijs, vt de quindena in quindenam corporalia abluāt, & purgent, singulis q; octo diebus, purificatoria mundent. Ex Cap. Gene. Cre.

35 Pallæ, seu coopercula calicis, mappæ, seu (vt loquuntur) corporalia sint linea & alba, nec vnquam serica, nec depicta, vel colorata: de cōsecratione distin. 1. c. cōsulto.

36 Corporalia, & pallę ꝓ prima vice ad sacrū ministeriū

non adhibeantur nisi sint consecrata, vel benedicta vt ibidem præcipitur. Ex Cap. Gen. Cre.

37 Purificatoria, corporalia, pallæ, & cætera huiusmodi quę sacro ministerio inseruiunt, vbi fuerint vetustate consumpta, nulli penitus vsui applicentur profano, sed vt habetur de consecratione distinct. prima. cap. Altaris pallæ, igni traddantur, & cinis in piscinam proijciatur. Ex. c. g. C.

*Construatur piscina.* 38 Cōstruatur in singulis Ecclesijs nostris, vel ꝑpe ostiū sacristiæ, vel in aliquo angulo, aut commodiori loco, conueniens fouea lapide decenti cooperta, (quam piscinam vocant,) vt in eam proijciantur aquæ, quibus fuerint lotę res sacrę, & cineres earūdē, indignū est enim introeuntiū pedibus inquinari, sicuti vbi supra statuitur. Ex. cap. G. Cr.

*Nemo accedat ad ecclesiam nisi vocatus.* 39 Nullus frater cuiuscūq; cōditionis, & gradus existēs preter personas publicas, in Ecclesię, vel sacristiæ obsequiū deputatas, accedat ad Ecclesiam, vel sacristiam, nisi vocatus á sacristis, pro confessionibus audiendis, vel alia iusta de causa; sub pena grauiori pro prima, grauissima pro secunda, criminis de furto confessi, & conuicti pro tertia vice infligenda, & qui sic vocatus fuerit, non audeat eleemosinas oblatas recipere, nec in Ecclesia, vel sacrario deambulare, aut cum secularibus colloquia facere, nisi de licentia speciali reuerendi Prioris. Et qui aliter facere presumpserit, supradictis pænis plectetur. Ex cap. G. Cre.

*deputētur altare pro Eucharistia administrāda laicis.* 40 Singulis diebus festiuis, sabbatis, ferijs quadragesimę, ac alijs secundū populi deuotionem deputetur altare pro sanctissimo Eucharistię sacramento laicis, & sæculari bus administrando. Ex cap. Gene. Cre.

*deputētur duo cōfessarij pro his qui Eucharistiā recipere voluerint.* 41 Ordinentur saltem duo confessarij, qui semper ibidē assistant pro illorum qui communionem recipere voluerint, confessionibus audiendis: & sacerdos cum stola & superpelicio vna cum clerico, pro dicto sacramento administrando: & tunc nullus eleemosynas petere audeat.

42 Diuinissim Eucharistię sacramentum qualibet hebdoma

domada mutetur, & sacerdos cui istud incumbet, diligenter aduertat, quascunq; reliquias etiam minimas summere. Ex cap. Gene. Cre. *Qualibet hebdomada renouetur sacra.*

43 Prohibemus ne in posterum quis audeat in patena sanctissimum eucharistiæ sacramentum alijs porrigere, sed omnino in pixide, aut in calice ob innumera scandala, quæ sepissime euenere conspicimus. Ex cap. Ge. Cre. *Eucharistia nō porrigatur secularibus in patena.*

44 Aptentur altaria, vbi commode fieri poterit, saltem ad longitudinem octo palmorum, latitudinem vero quatuor, in singulis vero accomodentur Crux, & duo candelabra. Et si quæ sunt, quæ patronos habeant, admoneantur pro huiusmodi expensis faciendis. Ex cap. Gene. Cre. *Altaria sint ornata decenter.*

45 Conficiātur, lapides sacri in singulis altaribus ad mēsuram longitudinis duorum palmorum, latitudinis vero vnius cum dimidio, & ita fiat inclusi in altari; vt parū, aut nihil emineant, ad euitanda scandala, quæ euenire possunt. Ex cap. Gene. Cre. *De lapidibus sacris*

46 Cæterum, cum nouum nobis visum fuerit lapides huiusmodi absq; sanctarum reliquiarum sepulchro à Reuerēdissimis Episcopis in istis regnis cōsecrari, cōtra id quod expressē in pontificali præcipitur, S. D. N. Clementē Papā viij. consuluimus, quid circa hoc nobis esset agendum, sanctitas vero sua, (vt per literas die. 20. septembris. 1594. Romæ exaratas significauit Illustrissimus Cardinalis Alexandrinus) nouitatem admirata respondit, nulla ratione permittendos esse tales lapides absq; reliquijs, nec super illis celebrari posse: sed omnino prohibendos, ac demū alios cū Reliquijs consecrandos: ad quem effectū ad nos Roma reliquias transmisit. Vnde præcipimus, & mandamus omnibus Prouincialibus sub pæna depositionis ab officio, vt infra sex menses curent cum Reliquijs lapides consecrari, illis q; solis vti, reliquorum vsu penitus sublato. *Lapides sacros. deinceps cūsandorū reliquijs consecrādos ex mādato S. D. Clementis Pa. viij*

47 Reponantur scabella lignea subter pedis sacerdotis *Scabella li*

*Scabellali gusa. sub. tus. pedes celebrātis ponātur.*

celebrantis ad mensuram longitudinis, & latitudinis altarium, latitudinis vero, seu profunditatis vnius psalmi. Ex Cap. Gene. Crc.

*Describātur anniuersaria in tabula, quæ ponatur in loco publico.*

48 Conficiatur in singulis conuentibus tabula in carta pergamena, describantur q; ibi anni versaria, missæ, & alia omnia, adquæ pro legatis, & eleemosynis receptis fratres illius conuētus tenētur, & si contigerit pro aliquibus particularibus nobilibus ad missæ quotidie celebrationem astringi, sufficiet ponere in die obitus illius nobilis huiusmodi debitum, & obligationem; quæ tabula in sacristia sit, in loco competēti, & publico affixa tám ad fidelium exēplum, & ædificationem quam ad ipsorum met fratrū memoriam. Ex cap. Gene. Cre.

*Res diuino cultui dicatas non vēdēdas, nec oppignorandas.*

49 Si contigerit Priorem, aut Prouincialem, aut clauarios cum illis, velle res diuinis obsequijs dicatas vendere, aut oppignorare, nullo modo obediat sacrista, quod si hac de causa voluerint ipsum amouere, & (quod absit) amouerint, vel punire tentarint, aut minati fuerint, tunc illos statim esse priuatos officijs suis definimus, & firmiter decernimus. Si autem realiter ventum fuerit per quencunq; ad talium rerum alienationem, vel oppigno rationem citra casum summæ cecessitatis, præter excommunicationis latæ sententiæ pænam, eos per decem annos inhabiles ad omnia officia in Ordine, & quibuscunq, gradibus priuatos, voce quoq; & loco solum per capitulum Generale restituendos declaramus. Ex cap. Gene. Cre.

*Sacrista non faciet expensas pro libito.*

50 Prior & clauarij pecunias subministrabunt, iuxta cōuētus facultatē, p expēsis, quas pro Ecclesia, & sacristia in dies fieri cōtingerit: sacrista tñ nullas ex suo capite, & cerebro faciat expēsas, sed de eo, quod opus esse cognouerit, Priorē, & clauarios admoneat, qui quod erit faciendū statuant, & de pecunijs prouidebunt, sed videant, ne in necessarijs deficiant, nullam conuentus paupertatem allegantes.

gantes. Ex Cap. Gene. Cremon.

51 Missa maior, cum sit velut quędam diuini officij pars communiter de eo celebrari debet, de quo illa die officium fit. Vt traditur in cap. quidam laicorum de cel. miss. quod nos obseruari præcipimus: maximè in illis conuentibus, in quibus, præter Missam maiorem conuentualem: matutinalis Missa cantari solet: quæ vel iuxta debitum nostrum, vel fidelium deuotionem disponi poterit, *Missa maior de quo celebrāda*

52 Caueant Regulares nostri, ne á Dominica Palmarum vsq; ad octauas Paschatis audeant alias Missas celebrare, quam iuxta misterij celebritatem nostræ Rubricæ præcipiunt celebrare: ne vel in eadem Dominica Palmarum aliud Euangelium in missa recitent, quam passionem Domini N. Iesu Christi secundum Matheum. Non enim æquum est vt propter alicuius particularem deuotionem, vniuersi fideles tot tantisq; defraudentur misterijs. *In hebdomada maiori quo modo celebrandum.*


53 In Missi maioribus, Credo, Præfatio, & Oratio Dominica, remota quacūq; excusatione, pręcinãtur semper. *Quæ sunt canēda in missa ma.*

54 Non permitantur Regulares nostri missas votiuas, in diebus festiuis nisi iustissima de causa celebrare: in quibus, missę nō ad libitū, sed iuxta festi solemnitatem celebrandę sunt. Trāsgredientes autem Prior seuerè corripiat. *Missæ voti uę nō dicē dæ in festis solemnib.*

55 Cantilenas, quæ magis ad risum, quam ad deuotionē excitare solent, in diuinis officijs penitus in hibemus. *Cātilenæ profanæ prohibentur.*

56 Et cum Ecclesia, sit domus Dei, & orationis locus: abs sitá viris Religiosis, vt quacūq; de causa, aut quocunq; prętextu, neq; die, neq; noctu, etiā sine multorū interuētu comedię in ea fieri permittātur, neq; mimorū gesticulationes, neq; choreę & his similia. Quę si quis Prelatus fieri permisserit, statim ab officio absoluatur: Regulares veró qui inter fuerint, loco, & voce actiua & passiua priuati ex tulent á conuentu per quinquennium.

57 Præcipimus omnibus regularibus noſtris, vt ea benedictione menſæ vtantur, quam antiqui patres noſtri nobis præſcripſerunt, & quã Sanctiſsimus Papa Gregorius XIII. ſæl. rec. confirmauit in breuiario per eum approbato, & illi formæ benedicendi nihil addatur, neq; ab illa aliquid detrahatur, cum id ſit prohibitum literis eiuſdem Sanctiſsimi D.N. Gregorij XIII.



# CAPVT SECVNDVM DE PAVPERtate seruanda, & modo viuendi in communi.

REGVLARES NOSTRI de consensu superioris poterunt habere vsum rerum mobilium permissum à sancto Cōcilio, qui vsus est incertus, & factu non certus nec iuris. Nam debet pendere à superiorum voluntatē. Ex Cap. Gene. Crel.

*Vsus rerū mobilium permitit tur regularibus.*

2 Monemus itaq; Reuerendos Priores bona communitatis bene dispensare, vt non appareat personarum acceptatio, & cum illorum nullum habeāt dominium, sed tantū custodes, & dispensatores sint; non ad nutum & voluntatem suam, sed vt mandant nostræ constitutiones; & sacrū Concilium, ita supellectilia regularibus nostris distribuāt; vt in eorum supellectili nihil sit superflui, nihil q; quod est necessarium denegetur.

*Priores bona cōmunia bene dispēsent.*

3 Prouideatur autem in primis de quibus cunq; rebus necessarijs tam pro dormitione, victu, vestitu, sanitate recuperanda, alijsq; omnibus: & singulæ cellæ sint supellectilibus omnibus necessarijs munitę pro vt paupertas nostra tulerit. Ex cap. Gene. Cre.

*Prouideatur necessaria fratribus.*

4 Singuli fratres nostri singulas tantum inhabitēt cellas de mandato speciali Sanctissimi D.N. Clemētis VIII. Prioritamen & regentibus altera permitti poterit, & sigilla-

*Cellæ fratrum quibus rebus*

tim suo quisq; lecto cubet, nec vlibi duo eodem lecto dormire possint Lectivero omnes ad eam formam redigendi erunt, vt latitudinem Palmarũ quatuor lõgitudinẽ octo non excedant, neq, bini in eadem cella habitẽt. Cellæ tandem nullo ornatu instructæ erunt, sed nudis parietibus.

5 In cellulis sufficiet habere lectulũ absq; vllo ornatu, nudam quoq; mensulam, duas sedes ad summum, seu scabella, arcam vnã sine claue pro cappa, & mutatorijs quotidianis conseruandis, vas pro abluendis manibus, sacras imagines, & libros, quorum numerum, & quantitatem non restringimus (dummodo non sint obscæni, & contra bonos mores, vel prohibiti á sanctissimo inquisitionis tribunali) altariolum tandem cum aquæ benedictæ vase pro oratione facienda, vel meditandis sacris misterijs. Cætera omnia vti superflua á cellulis remoueãtur. Si quæ alia quę tamẽ pauca sint, & parui valoris suppellectilia alicui personę graui cõcedẽda sint iudicio prouincialis relinquimus.

*Meũ et tuũ relegãdũ ex ore fratrum.* 6 Nemo dicat meum, aut tuum, vt pote mea camera, mea pecunia, mea vestis, sed dicat hæc res est mei vsus, vel dicat hæc res est nostra, vel vestra, vel nostrum aut vestrum. Sic enim statuitur in Regula nostra. Ex ca. Ge. Cre.

*Fiãt quotannis inuentaria rerũ mobilium.* 7 Fiant inuentaria omnium rerum mobilium ne dum ad vsum cuilibet fratri concessarum, sed earum etiam, quę communibus & publicis monasterij vsibus sunt deputatę: & singulo anno infra pascha Resurrectionis, & festum Ascensionis renouentur, ac in arca depositi conseruentur, sub pæna depositionis ab officio Prioribus, si in hoc negligentes extiterint. Ex cap. Gen. Cre.

*Priores reddãt ratio tionẽ bonorũ mobiliũ cõcessorũ.* 8 Quoniam Priorum negligentia non punitur, in dies crescit: Id circo statuimus, vt ipsi omnium mobilium etiam ad vsum cuilibet fratri concessorum rationem reddere teneantur, ita, vt si ex illis aliqua perierint ob eius incuriam, & dissimulationem, ne dum deponatur, sed inhabilis ad omnia Ordinis officia declaretur solum in capitulo Pro-

lo Prouinciali,& habito consensu generalis restituendus. Ex cap. Gene. Cre.

9 Mandamus in super omnia fratribus nostris erogata, vel acquisita ex prædicationibus, lectionibus, confessionibus, consanguinitate, pio affectu, industria, aut alio quo vis modo reponi, & concludi in arca communi depositi trium clauium æqué, ac bona religionis & bona communia realiter & in distincté communutati vnita, & incorporata illic ad fratrum omnium subleuandas necessitates recondita.

*Ols eleemosy. fratribus erogata sint vnita communitati.*

10 Quas tamē pecunias, quāuis sint cōmunitatis ne destituatur in necessarijs filij Ordinis nostri ad alios vsus nulla ratione applicari posse permittere volumus, quā ad subleuādas necessitates religiosorū. Prior vero pro sua prudētia & humanitate ex illis ipsis bonis ei necessitati potissimū cōsulat, ad quē spectarēt, nisi obstaret paupertatis votū.

*Prouideatur fratri. in suis necessitatibus.*

11 Cæterū pensāde in supersunt qualitates religiosorū necessitates, status, & dignitates, vt singulis pro vt cuiq; opus est, prouideatur, vt in regula nostra præcipitur; ac D. Augustinus quondam suos monachos alloquens dicere cōsueuerat: Nō æqualiter omnibus, quia nō æqualiter valetis oēs. Sed caueāt superiores ne dū vnū scopulū vitare cōtendimus, in alium incidamus, caueāt inquā ne vnus esuriat, alius ebrius sit, vnus tractetur vt dominus, alius vt captiuus, sed de bonis cōmunitatis nemo sibi plus arroget, quam iustū est, & cōmunitatis bona ita omnes participent, vt omnes cognoscant bona esse communia, & modum viuendi esse communem.

*Prouideatur frattes pēsata qlitate status, dignitatis cuiusq; sed præcipue cē side retur necessitas.*

12 Ea propter si cōpertū fuerit Priorē aliquē ad suum libitū, & suo arbitrio dare tunicas, & alia indumēta, ita vt vnus, vel alter sit bene accomodatus, alij vero despiciantur, & necessaria nō erogentur, prima vice á patribus clauarijs Prior ipse modesté admoneatur, secunda vice scribant, ad Prouincialem, qui si non prouiderit, clauarij

*Quid sit faciēdū cum Priore necessaria fratribus denegāte.*

mandent expenditori, vt indigenti succurratur, & si hoc finem non consequetur, vniuersus conuentus procedat ad electionem noui Prioris, quem Prouincialis confirmare teneatur, quod facere recusante Prouinciali ad moneatur Pater Ordinis.

*Pecuniæ omnes per manũ procuratoris expendantur.*

13 Nullus Prior in posterum audeat cuipiam religioso pecunias tradere expendẽdas, sed omnia expendantur per manus procuratoris conuentus, vel alterius personæ ad id per Priorem deputatæ sub pœna depositionis ab officio Priori permittenti, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ Regulari contrauenienti. Ex cap. Gene. Cre.

*Prouideatur fratribus de pietantia sufficienti.*

14 In singulis Conuentibus prouideatur singulis fratribus de pane, vino, & obsonio iuxta ordinis nostri paupertatem sub pœna depositionis ab officio Prioribus indigẽda, si prouidere recusauerint, nulla super hoc admissa excusatione. Ex cap. Gen. Cre.

*Refectoriũ sit mundũ ac nitidum*

15 Vt autem munda, ac nitida sit refectio, & cibus ea, quæ decet Regulares, munditia capiatur, mandatur reuerendo Priori, vt quam primum pro communi refectorio de mappis, & mantilibus prouideat, vt qualibet hebdomada aptè mutari possint, in quo si seruitores refectorij defecerint pro singula vice vna disciplina cum psalmo Miserere corripiantur. Emere etiam faciat sufficiẽtes cyathos reuerendus Prior pro communi vsu refectorij, & si sumptus monasterio videbitur grauis, construere faciat pocula, seu crateres terreos, & in eis bibent Regulares nostri. Ex cap. Gene. Cre.

*Omnes comedant in refectorio & comuni ciboẽtatur.*

16 Ordinamus de mandato Sanctissimi D. N. Papæ Clementis VIII. vt omnes fratres cuiuscunq; gradus, & conditionis existant, etiam si sint hospites, ad communẽ mensam primam, vel secundam in refectorium statutis horis conueniant, omnesq; eodem pane, eodem vino, eodemq; obsonio, siue eadem (vt aiunt) pictantia vescantur, nec singulare quicquam, quo priuatim quisquam in cibũ vta-

tur,

tur, vllo modo afferi posſit, ſub pæna priuationis loci, vocis, & cuiuſq; dignitatis Ordinis. Quod ſi quis legitima, & neceſſaria cauſa impeditus hora communis menſæ conuenire non poterit, is nihil ominus pictantia ſua in refectorio veſcatur, & non extra.

17 Spolia vero Regularium noſtrorum cum ſint communitatis, etiam communitati applicari debent: illa q; iuxta ordinata in noſtris conſtitutionibus parte pri. cap. 21. deſtribuantur. *Bona defunctorũ quomodo diſtribuẽda.*

18 Quod ſi quis cõuictus, aut confeſſus fuerit pecunias acquiſitas, ſeu donatas, vel etiam mobilia fideliter, & integré Priori non conſignaſſe, pænis proprietariorum irremiſsibiliter ſubiaceat, & Prior ſi ab eo exigere pænam neglexerit, ſit eo ipſo ab officio ſuo abſolutus, & inhabilis ad idem Prioratus officium ſolum per Generalem diſpẽſandus poſt triennium. *Qui pecunias retinuerit proprietario rũ pænis ſubiaceat.*

# CAPVT TERTIUM

## tium de honeſtate, & pace intra monaſterium ſeruanda.

QVONIAM reſidẽtia Prelatorũ ex ſancti Concilij Tridentini decreto de iure diuino fuit iudicata, nulla ratione eſt ferendũ vt Priores, quotidie abſq; vlla neceſsitate vagentur. Quare non audebunt Priores á ſuo conuentu recedere, niſi vrgentiſsima de cauſa per clauarios in ſcriptis approbata, & habita etiam in ſcriptis á Prouinciali facultate (quod rariſsimè fieri debet): Si vero ali- *Priores recedentes á ſuis conuẽtibus ſine licẽtia prouincialis abſoluantur á ſuis officijs.*

quis Prior absq; simili causæ approbatione,& facultate re cesserit, ipso facto suo officio absolutus censeatur,& con uentus,ad noui Prioris electionem procedat, cuius confirmationem à Prouinciali petent, nec Prouincialis (si in electo nullum fuerit canonicum impedimentum) confir mationem recusare poterit.

*Priores permittentes mulieres ingredi septa monasterij, sunt ipso facto excõmunicati, officijs priuati, & inhabiles perpetuo.*

2 Priores sint vigiles, vt diligenter seruetur clausura conuentus,nec vllo pacto quacunq; de causa permittant vllam mulierem,cuiuscunq, conditionis,& ætatis existat, ingredi septa monasterij,aliter tam permittentes, & consentientes, quam introducentes sunt ipso facto excommunicati, officijs suis priuati, & in posterum ad omnia Ordinis officia inhabiles,nec nisi à sede Apostolica valent ab solui,& dispensari. Tempore tamen processionum tam pro viuis,quám pro defunctis, vel diuinorum officiorum pro missis celebrandis, vel sepeliendis mortuis declaratum fuit mulieres simul cum alijs posse ingredi primũ claustrum (si quod est) iunctum Ecclesiæ ianuis,nõ aliter, nec alia de causa,non derogamus tamen consuetudini laudabili diuersorum locorum. Ex cap.Gene.Cre.

*Nullus exeat à cõuentu sine socio & cappa alba.*

3 In quocunq; conuentu,nullus exeat nisi cum socio, & cum cappis albis,& bini æqualiter,& cũ honestate, & grauitate incedãt sub pœna priuationis loci, & vocis tam sciẽ ter permittenti,quã contrafacienti: cæteris vero non habentibus vocem,expulsionis á conuentu, quod etiam de hospitibus,& itinerantibus intelligitur, quibus cum pro negotiorum suorum expeditione exire cogentur,socius erit per Priorem assignandus. Excipiuntur tamen quæsto res eleemosinarum,quibus,cum sæpissimé egrediantur, non ita facilé potest socius assignari. Ex cap.Gene.Cre.

*Quæstores eleemosy. sine soc. possunt exire*

*Pulsetur si gnũ hora cõpetẽti ad silentium.*

4 Priores, horis statutis mandent pulsari silentium, & omnes tam post prandium, quam post cænã ad illius obseruantiam cogant, pænas in constitutionibus definitas irremissibiliter ab vno quoq; exigendo.

Tem-

5 Tēpore verò nocturno, Prior facto silentij signo post debitam tēporis moram, qua veri similiter vnus quisq; poterit se ad propriam cellam recipere, singulas singulorum cameras quotidie visitet, & fractores silentij iuxta leges nostras corrigat, in quo vt Priores sint pro munere suo diligentiores, quàm hucusq; extiterunt, qui neglexerint in visitatione á Prouinciali ab officio absoluantur. Permittimus tamen, vt cum aliquo legitimo impedimento fuerit Prior occupatus, id Subpriori committere valeat. *Prior omnibus noctibus visitet cameras fratrum.*

6 Capitulum culparum, quod adeó ad conseruandam honestatem Religiosorum, ac humilitatem, Patres nostri necessarium sanxerunt, quomodo post ponatur, res mira profectò nobis est visa, ideò vt frequentetur, statuimus nullam in hoc admitti debere excusationem impedimenti. Nam si vna dies fuerit impedita, altera impedimento carebit. Si ante prandium fieri non poterit, alia congruentiori hora congregari valebit. Vnde Priores, qui qualibet hebdomada non curauerint capitulum culparum congregare, & per duas vices a patribus senioribus admoniti adhuc neglexerint, vti Regulæ, & constitutionum contemptores ab officio deponantur. *Capitulum culparum qlibet hebdomada celebretur.*

7 Nemo obmurmuret, aut obijcere audeat alicui in dedecus & ignominiam crimina præterita, de quibus fuit conuictus, confessus, atq; etiam regulariter correctus sub pœna carceris ad octo dies, & vnius disciplinæ cum psalmo Miserere, quod etiam de Prioribus intelligendum volumus. Ex Capitul. Genera. Cremonen. *Nullus obijciat alteri crimina præterita.*

8 Nullus item audeat scribere fratribus, vel secularibus, aut etiam alijs ecclesiasticis personis extra Religionem nostram literas, quæ vertantur in infamiam, & opprobrium cuiusuis de Ordine nostro sub pœna carceris ad quindecim dies, excipiuntur autem fratres, vbi *Non scribantur litera difamatoria.*

charitatiuè, de alicuius fratris Ordinis nostri iniquitate, superiores, ad quos spectat suorum inferiorum defectus, & turpitudines cognoscere: admonerent. Ex cap. Ge. Cre.

*Qui de fecerit in probatione pœna talionis mulctetur.*

9 Sed ne innocentes opprimendi detur occasio, qui aliquem fratrem cuilibet superiori Ordinis detulerit, neq; probauerit, pœna talionis plectetur. Ex cap. Gen. Cre.

*Non proferātur verba cōuiciosa, aut turpia.*

10 Amplius nemo verba conuiciosa, seu iniuriosa, aut turpitudinem continentia, aut turpitudinem propriam, parentum, vel affinium, aut consanguineorum, siue naturalem, siue aliunde prodeuntem contra quem cunq; proferat sub pœna carceris ad mensem, & in fine vnius disciplinæ cum psalmo Miserere, &c. Facta debita famę, & honoris restitutione, humiliter q; petita venia in publico refectorio tam offenso, quam patribus. Ex cap. Gene. Cre.

11 Si vero contra secularem (secuto scandalo) pœna duplicabitur, & hoc si prolata verba fuerint vera, si vero falsa præter dictam pœnam induatur caputio linguarum per tres vices in publico refectorio. Ex cap. Gene. Cre.

*Facientes libellos famosos qua pœna plectēdi.*

12 Facientes libellos famosos, & literas sine nomine, cōuicti, & confessi, ad carceres detrudātur per tres menses, & singulis ferijs sextis induantur caputio linguarum. Si vero contra Prouincialem, aut etiam Priorem suum localem, eius modi, libellos ediderint, aut verba contumeliosa, detractoria, & diffamatoria aduersus eos dixerint, per annum dictæ pœnæ subijciantur. Si contra Generalē suum, vel contra (quod absit) summum Pontificem etiā mortuum, Cardinales & Prælatos, vel Principes quoscunq; tale quid perpetrauerint, toto tempore vitę suæ in carcere maneant, nisi cum illis à Generale misericorditer fuerit dispensatum. Ex cap. Gene. Cre.

*Qui culp. in visitatione occultauerit, &*

13 Qui fratris sui delicta occultauerit, nec in visitatione coram superiore detulerit, vel infra mensem eundem non admonuerit, mox vero illi fratri dicta de licta obiecerit, vel de illis apud ipsum met superiorem accusauerit, interim

interim q, conuincatur illa delicta dissimulasse, & subtiacuisse, cum re vera ad eius notitiam primò deuenerint, vt calumniator puniatur: & exilio à tota Prouincia per decennium plectatur. Superior tamen contra reum ex officio suo seruatis seruandis procedat. Ex cap. Gene. Cre. *qua pœna puniẽdus.*

14 Et quoniam ob delinquentium impunitatem insolẽtes in dies peiores eueniunt, pax q, & fraterna charitas nedum frigescit: sed potius extinguitur, Priores, vbi etiam extra iudicialiter resciuerint aliquem fratrem alium verbo, vel facto offendisse, licet remissa iniuria Saluatoris prę cepto, ab offenso, nulla fuerit facta denuntiatio, veritatem inquirant, qua cognita, & sufficienter probata, reum iuxta salutaria nostra instituta corrigãt, & irremisibiliter puniãt quòd si conuictus fuerit aliquis superior peccatum dissimulasse, nec reum debitis pœnis, subiecisse ab officio depositus in telligatur, Ex cap. Gene. Cre. *Superior culpas dissimulãs ab officio deponatur.*

15 Nulli Priori, nec etiam Prouinciali liceat pœnas in cõstitutionibus descriptas cuiquam remittere, nisi leuẽ, vel mediam Priori: grauem vero Prouinciali. Nam quotidie experimur malos deteriores euadere ex eo, quod pœnæ non exigantur, sub pœna depositionis ab officio, & inhabilitationis per decennium. Ex cap. Gene. Cre. *Nemini li ceat pœnas in constitutionibus re mittere.*

16 Priores Prouincialem, Prouinciales Generalem statim admoneant de grauibus suorum Religiosorum excessibus, sub pœna depositionis ab eorum officijs, ac absq, mora personaliter, si possunt, sin minus saltem per commissarium idoneum prouideant huiusmodi euentibus, ac reos iuxta delicti quantitatem rigidé puniant, qui si fugã cœperint, seruatis seruandis contra eos procedant, ac si vocati, comparere renuerint, in eos vti contumaces sententiam proferant: & inuocato auxilio brachij secularis eosdem capere studeant: & superiores in hoc negligentes ab officijs suis absoluantur. Ex cap. Gene. Cre. *Superiores admoneãt Patrẽ Ordinis de excessibus regularium.*

17 Prouinciales, vbi aliquem ex religiosis suis, de aliquo *Prouincia*

*les statim sententiam proferant cōtra cul pas fratrū diffamato rum.*

crimine infamatum inquisiuerint, statim absq; vlla dilatione, & mora processum legitimè conficiant, & persoluant, & immediaté consulto Generali Ordinis si gratui de re agetur, sententiam proferant, & executioni demandent, aliàs transactis duobus mensibus huiusmodi inquisitionis omnia acta contra dictum Regularem sint nulla, & nullius valoris, & momenti, nisi aliter Pater Ordinis expedire iudicauerit. Ex cap. Gene. Cremon.

*Prouinciales fratrē de crimine cōuictū nō possunt ad dignitates Ordinis promouere*

18 Ijdem Prouinciales quemuis ex nostris Regularibus legitimè conuictum, aut confessum de aliquo crimine, seu aliàs condemnatum non audeant absq; licentia Generalis expressa ad officia, atq; dignitates Ordinis pro mouere sub pœna depositionis ab eorum officijs. Ex Cap.Gene.Cremo.

*Excōmun. celebrās pro suspecto de hæresi habeatur.*

19 Si quis notorié fuerit excommunicatus, maximè propter violentam in clericum manuum iniectionem, & ante debitam absolutionem celebrare ausus fuerit, habeatur tanquam suspectus de hæresi, ob clauium contemptum, & rigidè, vt talis puniatur: neq; ad diuina admittatur, donec perfectè pænitentiam sibi iniunctam egerit, ac de dispensatione super irregularitate liquidò constiterit. Ex cap.Gene.Cremon.

*Notorij excōmunicati in publicō sunt absoluendi.*

20 Aduertant etiam Prouinciales notoriè excommunicatos non nisi in publicò absoluendos, factaq; debita satisfactione, ac salutari pænitentia per acta, & si quis aliter fuerit absolutus, iterum in publicó absoluatur, & pœna in constitutionibus statuta dupliciter. Ex Cap. Gene.Cremon:

*Absolutio in foro cōsciēdata sit nulla quo ad forum exterius.*

21 Si contigerit aliquem per manuum iniectionem violentatum in alium, in foro conscientię absolutionem obtinuisse, & postea ad eiusdem superioris notitiam peccatum alia ratione deferatur, absolutio in foro conscientiæ concessa nullatenus quò ad forum exterius ei suffra

getur

getur, sed pænis in constitutionibus descriptis omnino subijciatur, ac si nunquam fuisset á tali censura absolutus. Ex Cap. Gene. Crem.

22 Vbi Priores resciuerint aliqua iurgia, vel contentiones inter aliquos ex Regularibus (suis inimico super seminante Zizania,) ortas esse: omnem adhibeant diligentiam, vt inter se depositis rixis, & æmulationibus in charitate non ficta reconcilientur: qui si renuerint, eum, vel illos, qui fuerint obstinati, ad Prouincialem mittant: de negotio plenam tribuentes informationem eius, quem vel quos carceri mancipabunt, nec extrahent, donec resi- puerint, inflicta salutari pænitentia, pro vt secundum delicti quantitatem iudicauerint. Ex Cap. Gener. Cremon. *Priores vt fratr. sint in charitate procurent.*

23 Cumq; in constitutionibus nostris tam correctiones & pænæ, quam locus, & tempus, ad coercendos criminosos, & delinquentes fratres sit definitum: non ex arbitrio in quouis loco, vel tempore, nec quauis pæna, & correctione inobedientes puniant, nec sit pro ratione voluntas, sed ad normam nostrarum constitutionum Reuerendissimi Soreth sint disciplinæ, & castigationes, & qui ia brachio extento, furore & minis iustitiam exercere voluerint, ab omni officio Ordinis amoueantur, vt prius discant obedire, quam imperare. Ex Capit. Gene. Cremon. *Regulares puniantur secūdū formā nostrarū constitutionum.*

24 Vt autem tollatur tàm fratribus omnis occasio murmurandi, & conquerendi, quod iniustè, & sine causa fuerint puniti, quám Prioribus innocentes criminandi, vel opprimendi: mandamus ante quam fiat correctio ad normam constitutionum, vt præmissum est, infligenda, semper explicari, & coram toto conuentu deberi publicari causam correctionis faciendæ, vt qui corrigitur edoceatur ea, á quibus in posterum cauere debeat, *Prælati sẽper culpas fratrū qui sit castigādi explicēt.*

C 4 nam

nam vt dicit D. Augustinus. Si castigatur quis, & non edoceatur crudelitas est, & si aliquis Prior in hoc defecerit, nõ audeat propterea reus ob id in eum insurgere, vel correctionem recusare, sub pæna amissionis iurium suorũ, & rebellionis, si omnino pertinax extiterit: sed facta denũtiatione ad Prouincialem, pro prima vice arguatur Prior, si perseuerauerit ab officio deponatur, vt Regularis disciplinæ hostis. Ex cap. Gene. Cre.

*In corrigibiles ab ordine expellantur iux ta indultũ Apostolic.*

25 Et quoniam pleriq; religiosi (ita instigante humani generis hoste) adeó incorrigibiles euadunt, vt omni Regulari disciplina reiecta maximo sint dedecori, & detrimento Religioni nostræ, præsenti decreto statuimus, quod si aliquis Regularium nostrorum pro aliquo enormi delicto fuerit bis punitus, tertia vice eidem intimetur Breue de incorrigibilibus, & postea si in idem vel simile lapsus fuerit delictum, tanquam incorrigibilis á Religione expellatur, nullo pacto ad ipsam amplius admittendus, sed ad arctiorem regulam assignato termino competenti cogendus sub pæna triremium. Ex cap. Gene. Cre.

*Regulares oẽs vniformẽ vestitũ deferant.*

26 Vestitu ex communi pecunia cõparando omnes fratres nostri contenti erunt, in quo modus, & forma adhibeatur ad regulæ præscriptum, ita vt in eo nihil inane sit, sed regularis modestiæ, religiosæ honestatis, sanctæ humilitatis, & paupertatis in eo decor eluceat, & vt ex reformatione habitus, morum etiã reformatio appareat: præcipimus & mandamus, vt Regulares nostri omnes, cuiuscunq; gradus, & dignitatis sint, deferant habitum vniformem, & quò ad quantitatem, & quò ad colorem, & quó ad vilitatem pretij.

*Forma vestimẽtorũ.*

27 Forma autẽ vestimentorũ talis erit. Tunica vel habitus distabit á terra duobus digitis, scapulare breuius erit tunica tribus digitis, cappa eandẽ tenebit longitudinẽ cum scapulari, que á parte anteriori erit cõsuta duobus digitis.

28 Intra mensem autem tunicæ, & scapulare, & cappæ in præ-

in præſentiarum habitæ, ad formam ſuperius expreſſam reducantur.

*Intra menſem veſtes reformentur.*

29 Deferent etiam omnes religioſi noſtri, ſub tunica griſea, albam tunicam tendentem vſq; ad talos, vel circa.

*Deferant fratres tunicā albā.*

30 Indumenta interiora, quæ ad arcendum frigus deferuntur, ſint honeſta, & albi coloris & nullius alterius.

*Interiores veſtes boneſti & albi coloris.*

31 Veſtimenta exteriora tunicæ, ſcilicet, ſcapillaria, & capucia, in omnibus Prouincijs Hiſpaniæ, & Luſitaniæ ex panno vili fiant, & nullo modo ex pretioſo. Si quis autem manicas femoralia, ſeu caligas laneas ex acu confectas deferre auſus fuerit, ſit eo ipſo per decennium exul à Prouincia voce actiua, & paſsiua priuatus.

*Veſtes exteriores ſint ex pāno vili. Manicas vel caligas ex acu confectas non deferēdas.*

32 Præcipimus vt in omnibus Prouincijs Hiſpaniæ, & Luſitaniæ, etiam in Regno de Braſil, in Indijs, tan Orientalibus, quam Occidentalibus, fratres noſtri cappis albis tam in itinere, quam alibi etiam nauigantes vtantur: vt ex habitu candido deprehendatur illos eſſe fratres Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, in cuius honorem, & deuotionem pallijs albis condecorantur: prohibentes pallia griſei, vel alterius coloris, mandantes vt infra ſex menſes vel in aliud veſtimenti genus illa commutentur, vel pauperibus Chriſti erogentur.

*Fratres itinerātes vtātur cappa alba.*

33 Nullus frater ſibi fieri veſtes audebit, niſi á miniſtro per Priorem ad conſuendas veſtes electo, & eodem Priore præſente, vel alio ab eo deputato.

*Veſtes cōſiciātur præſēte Priore*

34 Cætera veró decreta, quæ de veſtimentis, & calceamentis, in fauorem vitæ Regularis, á patribus noſtris maturo conſilio ſunt ſancita, inuiolabiliter obſeruari præcipimus.

*Decreta de veſtibus in fauorē vitę regularis ſeruentur.*

35 Declarantes, quod ſi poſt menſes duos, facta ſufficienti horum ſtatutorum promulgatione, aliquis Regularis noſter cuiuſcunq; gradus, dignitatis, aut conditionis extiterit, auſus fuerit deferre indumenta, tam exteriora, quā interiora, contra formam in his decretis, & conſtitutioni

*Qua pena puniēdus qui veſtes cōtra formā detulerit.*

bus nostris expressã voce, et loco careat per duos annos, & tanquam reformationis hostis acerrime puniatur.

*In diebus ab Ecclesia prohibitis fratres non comedant carnes sub excõmunicatione pœna.*

36. Præcipimus item in uirtute sanctæ obedientiæ, et districte mãdamus omnibus, & singulis inferioribus nostris cuiuscunq; gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub pœna excomunicationis latæ sententiæ (cuius absolutionẽ nobis ipsis reseruamus) nec non priuationis gradus, loci, et vocis actiuæ & passiuæ, et sub pœna tandem suspecti de hæresi infligenda, ne sub quocunq; prætextu, aut quæsito colore audeant carnes comedere in diebus á sancta matre ecclesia prohibitis, nisi sint uerè infirmi, febre laborantes, et lecto decumbẽtes, aut alia grauiore infirmitate oppresi, vel saltem propter nimiam debilitatem ex recenti infirmitate conualescentes, et hoc de consilio medici in scriptis obtento (cuius consciẽtiam in hoc oneramus) apud Priorem in aliqua arca reseruando, ut quandocumq; opus fuerit, de licentia seu permissione comedendi carnes in suo conuentu quibuscũq; Regularibus facta, rationem reddere ualeat, alias easdem omnino pœnas, ac si ipsemet carnes comedisset, subiturus.

*Qua pœna puniẽdus, qui feria quarta et sabbato carnes comederit.*

37. Qui vero diebus Mercurij, aut Sabbati absq; necessitate, et testimonio Medici supradictis carnes comedere ausus fuerit, ipso facto sit priuatus uoce actiua, & passiua: cui pœnæ subijci volumus quẽcumq; superiorẽ, qui permiserit vel dissimulauerit, vel debitas pœnas non exegerit.

*Indulgẽtia plenisimã cõcessa fratribus,*

38. Animaduertant autem Regulares nostri, in regula nostra mitigata ab Eugenio quarto, quam profitemur, concessam esse plenissimam absolutionem omnium peccatorum in articulo mortis fratribus nostris, si regulam mitigatam obseruauerint, et in obseruantia ipsius vixerint, et dummodó per annum integrum ieiunẽt, computando in singula hebdomada unicum diem, quo ad ieiunium aliàs nel ex præcepto ecclesiæ, vel ex regulari obseruantia, vel ex iniuncta pænitentia, aut uoto, aut aliá causa non teneantur.

tu. Quod ideò unicuiq; ad memoriã reducere uolumus, ne in re tanti momenti aliquis frater noster ignorantiam prætendere ualeat: sed unusquisq; animæ suæ saluti, et conscientiæ tranquillitati consulat. Et si in dicto anno, vel aliqua eius parte sint legitimè impediti, anno sequenti vel aliás quam primum potuerunt, modo simili supplere ieiunium teneantur.

39. Et cum Pius secundus fe. re. Generali ordinis pro tempore existenti facultatem concesserit, qua iuxta conscientiæ suę arbitrium, cum uniuersis utriusq; sexus eiusdem Ordinis nostri professoribus, circa ieiunium eorum dierum, quibus extra diem Dominicã, ab Eugenio quarto prædecessore suo, eius carnium fuerat permissus, pensata qualitate locorum, personarum, et temporum dispẽsare ualeat, atq; insuper Xixtus quartus nedum id confirmauerit, sed ulterius eidem Ordinis Generali, ut tres dies, plures, uel pauciores ad ieiunium faciendum nominare, aut remittere posset, libere indulserit: Nos filiorum nostrorũ conscientię, ac tranquillitati in hoc, pro munere nostro satisfacere cupientes, attenta temporis calamitate, Ordinis paupertate, religiosorum asidnis die, et nocte laboribus, ac locorum uniuersali penuria declaramus ex authoritate nobis (ut supra) concessa, fratres nostros, ab exaltatione Crucis, usq; ad pascha ad ieiunium ferię quartę, sextę, & sabbati pro regule obseruantia, qualibet hebdomada teneri. Ieiunium uero secũdę ferię, et tertię, & quintę ferię ob supradictas causas (nisi hisce diebus ex precepto Ecclesię aliquod ieiunium interuenerit) in Domino remittimus et relaxamus. *Ab exaltatione .S. Crucis usq; ad pascha ieiunĕt fra tres feria 4. 6 et sabbato.*

40. Quando Natiuitas Dominiferia sexta euenerit, nulla ratione carnes comedere audeant nostri Religiosi, sub pæna priuationis vocis actiuę, & passiuæ per tres annos: hoc enim priuilegio minime gaudent, qui voto, vel Regulari obseruantia sunt astricti: vt expresse præcipitur de ob *Nõ liceat nobis comedere carnes quãdo natiuitas dñi*

 ser.

*in fer. 4. aut. 6. aut in sabbat. euenerit.* ferieiu. cap. explicari. Neq; id attentare præsummant sub eadem pœna, quando idem festum feria quarta vel sabbatho celebrari contigerit. Nam exceptio de non comedẽdis carnibus his diebus, (quæ habetur in Bulla nostra Clementis VII. fel. recor. quam sabbathinam appellamus) dum modo indictis diebus non cadat festum Natalis Domini, intelligitur de confratribus tantum, nequaquã de nobis, qui voto, ad non comedendas carnes in hisce diebus sumus astricti.

*Literæ generalis absq; vlla excusatione ab omnibus debita reuerẽtia executioni mandentur.* 41. Literæ Generalis Ordinis, siue simplices & familiares, siue patentes, & publicæ, ob quodcunq; negotium, & quacunq; de causa, nec non in gratiam & fauorem cuiuscunq; concessæ, cum debita reuerentia, á quibuscunq; cuiuscunq; dignitatis, conditionis, & gradus nobis inferioribus recipiantur: eis q; sine mora, & post posita omni excusatione, debita obedientia præstetur, nisi fuerint immediatè ab ipso Generali Ordinis datæ contra id, quod expressè est ipsi Generali prohibitum, vel in cõstitutionibus Generalibus Ordinis, vel in decretis capituli Generalis Cremonæ celebrati, vel in his etiam nostris constitutionibus, quas pro reformatione conseruanda edimus: (nos enim ipsi legibus nostris alligatos esse velle profitemur) quo casu, sicut & si iudicarentur ob aliquam causam ingentem non expedire: suspendatur effectus illarum, & statim Generalis Ordinis informetur, ac admoneatur, vt quid sit eo casu agendum determinare valeat: qui uero eas intercipere, vel rescindere, vel eas in auditum, & controuersiam vocare, vel illis debitam obedientiam minime præstare, aut earundem executionem differre, quicunq; ille sit, & quacunq; polleat dignitate, aut gradu sit eo ipso cõfossus gladio excommunicationis latæ sententiæ, priuatus quocunq; officio, gradu, & dignitate. Et si á Generali admonitus, fuerit cõtumax, perpetuò existat loco & uoce actiua, & passiua expoliatus, exulq; ab omnibus Hispaniarum re-

*Qua pœna puniendi qui literis Generalis obedire renuerint.*

Lusita-

Lusitaniæ prouincijs.

42 Negotia, quæ pro quouis conuentu Prouinciæ, vel pro religioso Ordinis nostri, in curia Romana, pro tempore erunt pertractanda, nemini extra religionem, committantur: sed omnia cum debitis informationibus ad Procuratorem Ordinis deferantur, sub pœna priuationis uocis actiuæ, et passiuæ nostris Regularibus contra facientibus.

*Negotia fratrũ in Curia Romana soli ordinis procuratori committãtur*

43. Cum aliquis Religiosus profugus, et Apostata ad Generalem se contulerit, et cum literis patentibus, ad suã Prouinciam remittetur absolutus ab Apostasia, ita intelligendas esse declaramus tales literas: ut pro fuga tantum, talis Religiosus censeatur liber, tam quó ad culpam, quã quó ad pœnam, nec ratione Apostasiæ quisquam inferior audeat, ab eo ullam pœnam exigere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. (cuius absolutionem nobis ipsis reseruamus,) nec non sub pœna tam depositionis ab officio, quám priuationis loci, et uocis actiuæ, et passiuæ solum per Generalem Ordinis restituendus. Si vero talis Religiosus aliqua alia delicta commisserit, non intelligatur absolutus: nisi specialis, et expressa mentio fiat de illis in dictis literis patentibus, ac propterea poterit iuxta constitutiones puniri. Si uero etiam in præfatis litteris haberetur mentio, tam de delictis, quam de pœna inflicta vel condemnata (quod tamen nunquam a patre Ordinis fiet, nisi primò de omnibus fuerit plene informatus) æquum nõ est, ut quod á superiore fuit iudicatum, ab interiore reuocetur in iudicium: quod si quis attentare ausus fuerit, supra dictis pœnis (licet in dictis litteris Generalis, nulla de ijs haberetur mentio,) omnino eum subiacere nolumus.

*Apostata ad prouinciam deueniens cum literis generalis ab apostasia solum liberatur.*

44. Præcipimus in uirtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna exilij à Prouincia per tres annos, ut nullus frater per se vel interpositam personam directé, vel indirecté audeat intercipere aut retinere, vel aperire literas alijs fratribus missas, quia ex hac malitiosa interceptione multa mala suborta

*Qua pæna plectendus quilitéras fratrũ malitiose aperuerit.*

suborta fuisse cognouimus. Si vero fuerint literæ Generalis Ordinis, præter supradictas pænas, etiam loco, et voce sit priuatus arbitrio Generalis.

*Qua pena puniendus qui ludis prohibitis luserit.*

44. Qui ludis prohibitis alearum, taxillorũ, & similium luserit, et de hoc conuictus, aut confessus fuerit, vel etiã violenter suspectus, per decennium loco, et uoce actiua, et passiua priuatus exulet á Prouincia. Quam pænã incurrere Priorẽ uolumus, si sciẽs permisserit, aut dissimulauerit.

*Fratres nõ per noctẽt extra conuentum.*

45. Fratrum nostrorum consolationi, et conuentuũ præfatarũ Prouinciarum honestati, & clausuræ satisfacere cupientes mandamus, quod deinceps nec Priores, nec etiã Prouinciales possint concedere licentiam alicui ex fratribus nostris pernoctãdi, aut permanendi extra conuẽtũ ab hora pulsationis Angelicæ in vespere, usq; ad ortum solis sequentis diei, quacunq; occasione urgentissima data, nisi pro confessionibus duntaxat audiendis, quibus absolutis, statim ad conuentum reuertatur, neq; ibi possit permanere, nisi fuerit domus personæ notabilis, & nostri Ordinis deuotæ, vel patris aut matris, aut fratris, aut sororis alicuius fratris nostri, si aliquẽ ex ipsis cõtingeret periculo se infirmari. Nunquã tamẽ exibũt fratres, prædicto tẽpore nisi lumine accẽso, et quibusdã uiris sæcularibus cõmitati.

*Licentiam manendi extra clau stra cũ habitu retentopater Ordinis dare non potest.*

46 Nemini in posterũ poterit Pater Ordinis ex decreto capituli Generalis Cremonæ celebrati, facultatẽ cõcedere extra ordinẽ, siue in domibus suorũ parentũ, siue in aliquo eremitorio, cũ habitu retẽto permanendi, etiã si ponatur in literis patẽtibus clausula, quod sit subiectus obediẽtiæ Prioris, & Prouincialis talis prouinciæ. Nã grauissima, & manifestissima scãdala sũt inde secuta, quibus religionis honor, maximã fuit passus iacturã. Omnes autẽ huiusmodi facultates cõcesse, & in posterum concedendæ, declarãtur cassata et penitus annullatæ.

*Licentiam eundi ad Indias Pater Ordinis dare non poterit nisi etc.*

47. Pari etiã ratione nemini deinceps Generalis poterit cõcedere facultatẽ eundi ad Indias siue Oriẽtales, siue Occidẽtales, nisi per capitulũ Prouinciale fuerit petitũ, & ob

tenta

tēta venia á Rege Catholico,aliter cōcesio sit nulla & pe nitus reuocata,sic mādātibus diffinitoribꝰ Cap.Generalis.

48. Nemini unquam ex regularibus nostris cōcedere potest Pater Generalis, patentes literas, quibus illum sibi uel alteri faciat immediatum,et a correctione sui Prioris uel Prouincialis exēptū:Nā inde sumitur occasio frequēs quòd fratres huiusmodi ad libitum uiuant,&delicta eorū pænitus maneāt impunita. Concessas vero hactenus, & si quæ in posterū forsan cōcederētur ex nūc pro tūc irritas, & inanes,& nullius ualoris esse declaramus. Ex C.Ge.Cr.

*Neminem sibi imme diatum pa ter ordinis facere po sterit.*

49. Si quis extra Prouinciam suam absq; præsentatione capituli Prouincialis fuerit tōsura clericali donatus,vel or dinibus sacris initiatus,& in suam postmodum Prouinciā reuertatur, etiam cum patentibus Generalis, non aliter recipiatur in sua Prouincia,nisi in eodem statu, quo erat, quando à prouincia fugit,vel apostatauit, sublata omnino per capitulum Generale Cremonæ celebratum Patri Ordinis facultate aliter faciendi,vel ordinandi, uel mandādi.

*Extra Pro uinciam ordinatus recipiatur in eodē sta tu,quo erat quando au fugit.*

50. Quoniam uitæ sanctitas,& deuotio,quam fidelesno bis ostendunt,multo magis in Regularibus nostris debet splendescere, rationi videtur consonum,et præsertim pē sata tēporū nostrorū calamitate,ut fratres nostri nōdū ad sacerdotiū promoti,et fratres laici,singulis diebus Dominicis cōfiteātur peccata sua,et sacrā Eucharistiæ cōmunionem præter duodenas in Ordine nostro cōmuniones con suetas accipiāt in missa cōuentuali;nisi cōscientiæ R. Prioris videatur cū aliquo debere dispēsari,ut uel à comunione illius diei penitus se abstineat,vel quod hora magis cō moda illā recipiat.Qui uero huius decreti fuerit trāsgressor reperto,aut aliquomodo cōtēptor,acerrimé puniatur

*Fratres nō dum ad sa cerdotium promoti, et laici sin gulis die-bus domi nicis confi teantur et sacrā Eu charistiā sumāt.*

51. Singulis quoq; mēsibus fiant processiones solemnes in honorem beatæ Mariæ virginis de MonteCarmelo,Do minica secūda cuiuslibet mensis,vel alia Dominica nō impedita post uesperas solemniter decantatas: quibus abso lutis fiat concio ad populum (quādo id obseruari potest) in qua

*Processio solemnis*

*semel in mē se in hono rem. B. M. virginis de monte Carmelo fiat. Et commemoratio solemnis fiat in julio.*

in qua concionator indulgentias, gratias, priuilegia, & facultates Ordini nostro, & fratribus, et confratribus cōcessas explicabit. Mēse autem Iulij, festum commemorationis beatę virginis Mariæ, in Dominica cōpetenti eiusdēmē sis, maiori qua poterit solēnitate celebrabitur. Ex c. G. C.

*Cōuentualitas perpetua non cōcedenda. Cogi possūt fratres ad officia ordinis.*

52. Non concendantur amplius á Patre Ordinis (ita statuente Capitulo Generali) patentes pro conuentualitate, sine permanentia in aliquo cōuentu perpetua, et hactenus per quemcunq; superiorem cōcessæ, penitus sint reuocatæ. Imo quando Prouinciæ videbitur expedire, poterit deinceps fratres nostros, ad officia curam animarum habentia subeūda, cogere sub pœna ammissionis loci, et vocis, et gradus, & dignitatis, nisi Capitulo Generali propter aliquas manifestas causas, et Conuentus utilitatem aliter faciendum visum fuerit. Causas autem præsentabit capitulum Prouinciale, vel Prouincialis, vel socij sui in dicto capitulo Generali existentes, ac petentes. Ex. ca. Ge. C.

*Possūt. Prouinciales mitere fratres ad Indias & ad Regnū de Brasil, non tamen possunt cogere illos cēsuris.*

53. Prouinciales Hispaniæ, et præsertim Lusitaniæ, poterunt mittere fratres suos ad Indias Orientales, vel Occidentales, vel Peru, vel Regnum Brasil, pro Conuentuum receptorum conseruatione, vel pro recipiendis de nouo conuentibus. Non enim fratres nostri dum profitentur, aliquam exprimere possunt conditionem: ut promittant se posse seruare obedientiam in terra, sed non in mari. Cum igitur absq; vlla conditione Patri Ordinis suam promittāt obedientiam, absit, ut aliquis ex regularibus nostris præcepto sui Prouincialis, vel Capituli Prouincialis, possit tuta conscientia cōtradicere, sed quó illū superioris pręceptū miserit, prompté et humiliter, et absq; ulla cōtradione se conferat. Ex. ca Ge. Cre.

*Senibus prouideātur seruientes*

54. Prouideatur in uno quoq; monasterio de seruitute competenti senioribus patribus, quibus vires non suppetunt seruitia familiaria per se peragendi.

55. Caueatur tamen de mandato sanctissimi D. N. papę

ne ullus

ne ullus Magister socium peculiarem seruientem eiusdē Ordinis habeat, sub pœna priuationis magisterij, & priuilegiorum. *Magistro nō habeat fratrē inseruientē.*

56. Quod si alicui ex necessaria causa Generalis iudicio comprobanda socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is, nisi vigesimum quintum annum agat, et qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur. Et si commodé fieri possit, sit conuersus, aut semi frater. *Cui concedendus frater inseruiens.*

57. Abrogamus & penitus abrogatos declaramus, ex mandato sanctissimi D. N. Clementis, VIII. omnes gradus patris honoris, emeriti, bene meriti, et iubilei: ita ut nulla illorum in posterum habeatur ratio, ac si nunquam concessi fuissent: sed unusquisq; locum suæ professionis ubiq; retinebit. Quod omninó de illis, qui à nobis gradibus lectoratus, Baccalaureatus, & præsentaturæ fuerunt priuati, intelligi volumus. Atq, ita firmiter decernimus, & definimus. *Gradu patris honoris bēnemerit: et Iubilei abrogantur.*

Omnes fratres nostri, dum se inuicem præsentes alloquuntur, aut absentes absentibus scribunt litteras, nomine Reuerentiæ appellentur, exceptis Prouincialibus, aut Vicarijs, Prouincialibus, qui gubernant Prouinciam, et Prioribus dum Prioratus officium exercent: Diffinitoribus toto tempore, quo eorum durauerit officium, & Magistris per Prouinciam admissis: qui omnes supradicti Paternitatis titulo potientur, quo etiam gaudere debēt; qui Prouincialatus munere iam sunt functi: præcipientes sub pœna priuationis uocis, & loci omnibus Regularibus nostris, ne se permittant alio titulo compellari: quam suæ dignitati competenti: & eandem pœnā subire uolumus eos, qui alijs titulis, quam hic expressis, fratres nostros appellare ausi fuerint. *Quo titulo fratres sunt appellandi.*

Caput

# CAPVT QVARTUM. De honeſtate extra monaſterium ſeruanda.

*Fratres bis in menſe poſſunt à conuẽtu exire.*

CVM NIHIL MAGIS REFORMationi contrarietur, quam quod fratres in vrbibus, & oppidis per plateas, & loca publica modo húc, modo illuc diuagentur, præcipimus Reuerendis Prioribus, ut non niſi, ad plus bis in mẽſe cõcedant licẽtiã, ſuis fratribus, exeũdi á Cõuentu: ſi veró ingruerit neceſsitas ut ſuper hoc cũ aliquo, vel cũ pluribus fiat diſpenſatio. Prior, ea re bene cognita, cũ illo, vel cũ illis indulgeat in hoc caſu, ſignato ſocio minime ſuſpecto. Verũ in diebus feſtis nulli exeundi facultas permittatur ſine manifeſtiſsima, & iuſtiſsima cauſa. Quod ſi Prior indulgentior fuerit in concedenda licentia, ſit eo ipſo a ſuo offitio abſolutus. Nec enim ipſum tali officio dignum iudicamus, qui vagandi occaſionem Regularibus præbet, & eos reſtringere negligit. Et eum per Ciuitatem eſt eundum, cappis albis fratres induti decenter, honeſté, et demiſsis in terram oculis, (vt religioſos decet) incedant. Ex Cap. Geñ. Cre.

*Pilei nigri deferendi*

2. Statuimus regulares noſtros, in omnibus Prouincijs vtantur vniformes: alioſq; non poſſe deferre pileos, quam nigros, & ſine filis de ſerico ex decreto Capituli Generalis Cremonæ.

*Scandaloſus ſtatim mittatur de illo conuentu.*

3. Qui in aliqua Ciuitate, vel oppido ſcandalum dederit: vel de aliquo crimine violenter ſuſpectus fuerit, nullo modo permittatur, eo in Conuentu reſidere: ſed

ſtatim

statim ad Prouincialem mittatur, qui de alio Conuentu illi prouidere teneatur. Ex Capitu. Genera. Cremone.

*Prior qui fuerit negligens in eijciendis scãdalosis qua pœna puniendus*

4. Si verò Prior admonitus, & de aliquo periculo famæ, & honoris publici certior factus, non curauerit ab alió transmittere dictum fratrem, & mox fuerit, scandalum subsequutum: frater, qui deliquit pro modo culpæ puniatur: et Prior ab offitio absoluatur, per decenniũ, ad illud, aut ad aliud non assumendus. Ex ca. Ge. Cre.

*Reuelãtes defectus fratrum qualiter puniantur*

5. Si quis ex nostris fratribus, reuelauerit defectus monasterij, & fratrum crimina, vel correctiones criminum, aut infamias, vel aliqua, quæ in dedecus publicum, vel priuatum vertantur, dictus reuelans confessus, aut legitimè conuictus carceri traddatur per mensem: ferijs secunda, quarta, & sexta extrahatur, & in communi Refectorio, coram toco Conuentu, genu flexus induatur caputio linguarum: & mense elapso, recipiat disciplinam in forma pauperum, perpetuò priuatus loco, & voce actiua, & passiua. Et si Priores in executione huius decreti fuerint negligentes, vel tanquam personarum acceptatores alterum punierint, et alterum impunitum relinquerint eo ipso sint suis offitijs priuati, nec possint restitui nisi per Capitulum Generale. Ex Capit. Genera. Cremon.

*Nemo potest citare aliquẽ extra ordinẽ*

6. Item cum non venerimus contendere, sed propriæ voluntati ab renuntiare, districtè præcipimus, et mandamus omnibus cuiuscunq; gradus, & conditionis extiterint, se, sua q; in manu suorum superiorum Regularium, collocantes, in quibuscunq; iudicijs, differentijs, et causis eorundem superiorum suorum sententiam, et iudiciũ expectent, illudq; humiliter recipiãt, et venerẽtur. Neq; audeat ullus ex nostris qr empiã ẽ suis fratribus siuè subditũ siuè superiorẽ, siue monasteriũ aliquód e nostris, et eo minus Prouincias, nec Ordinem, siue in primis

 instantijs

instantijs, siue ratione appellationis pro quacunq; causa ciuili, seu criminali, seu mixta, ad aliquod tribunal, seu sæculare, seu ecclesiasticum ( sanctissimo Inquisitionis officio excepto) extra Religionem vocare, et citare, sub pænis in Canonibus sacris constitutis, nec non sub pæna priuationis vocis, et loci, graduum officiorum, et dignitatum perpetuò; atq; omnium bonorum ei ad vsum cõcessorum, indumentis, et rebus verè necessarijs exceptis.

*De profugis et vagè discurrentibus.*

7 Cum multa, & ea quidem diuersa scripta reperiãtur in nostris constitutionibus, in actis Capitulorum Generalium, et in peculiaribus Prouinciarum statutis, circa fratres profugos, qui sine suorum superiorum licentiá monasterijs, in quibus regulariter viuunt, discedunt, prætexta eundi ad superiores; vel pro depellenda iniuria, vel pro aliquia impetranda gratia, (quam consolationem appellãt) authoritate Apostolica declaramus, omnia antiqua statuta, & si necesse est de nouo condimus, decernentes quemcunq; Regularem nostrum, cuiuscunq, conditionis gradus: aut dignitatis existat, qui sine licentia sui Superioris á Conuentu recesserit, ) etiam prætextu eundi ad suos superiores ) incurrere sententiam excommunicationis latæ sententiæ ab Ordine, et eius absolutionem esse reseruatam Prouinciali, aut eo superioribus, statimq; esse priuatum voce, & loco usq; Capitulum Prouinciale nisi Reuerendiss. Pater ordinis, cum eo misericorditer dispensauerit. Neq; deinceps prætendat excusationem, quod veniam in præsentia aliquorum, vel totius Conuentus petierit, sed non obtinuerit: quia uolumus neminem posse recedere á Conuentu, nisi licentia petita, et in scriptis obtenta, á superiore; quam licentiam si superior benignè impartiri noluerit, & Regularis subditus pretendat, se indebité molestari, ferat patienter, et scribat Prouinciali suas querelas: & consignet literas superiori coram testibus transmittendas ad Prouincialem, sumptibus cõuentus et Prior

teneatur

teneatur fideliter, et breuiter illas transmittere, etiā, sum ptibus conuentus ad Prouincialem, sub pœna literas maiorum malitiosé detinentium, Prouincialis autem pro sua prudentia de opportuno remedio prouidebit. Interim tamen Prior, prædictum fratrē nulla molestia afficiat: sed cum eo benigné agat. Ad Priorem autem Generalem nemo audeat accedere, sub pœna apostatarum, et exilij a Prouincia per sex annos, nisi obtenta licentia á suo Prouinciali, quam Prouincialis non dabit nisi ob grauissimas causas. Indignum namq; est Religiosos Carmelitas, qui ex regula tenentur diu, noctuq; in cellulis manere, vel circa eas tot itinera peragrare, & sine causa, per tot exteras nationes cum nostri Ordinis dedecore diuagari. Qui semel á Cōuentu recesserit, supra dictas pœnas, sententiam scilicet excōmunicationis, & priuationis uocis, & loci sustinebit qui bis, ultra prædictas pœnas, perdet etiā antiquitatē, quam habebat in ordine: et antiquitas computetur á die sui reditus ad Conuentum Qui ter, ultra prædictas penas, incurret etiam pœnam inhabilitatis ad officia Ordinis. Qui quater, ultra prædictas pœnas, exulet a Prouincia per decē annos. Qui pluries tanquam incorrigibilis, uel ad triremes damnetur, uel ab Ordine expellatur.

8 At quia astutia hominum atq; malitia, vias innumerabiles ob ambulat, quam refrænare uires quandoq, nō suppetunt humanæ: si plures fratres conspirarent, pro petenda uenia, simul eundi ad Prouincialem: ita ut ecclesia debito cultu destituatur: eo casu Reuerendus Prior uni, aut alteri tantum facultatem hanc poterit concedere, et de reliquis iudicium, et responsum á Prouinciali expectabit Discedentes autem in contemptum, non habita facultate pœnam conspiratorum subibunt. Ex Cap. Gen. Cre.

*Fratribus conspirantibus Simul eundi ad prouincialem Prior licētiam dare nō poterit omnibus*

9. Cogantur Priores in suis Conuentibus carceres de nouo construere, vel reparare, sub pœna excommunicationis, & depositionis ab eorū officijs, sicut in Capitulo

Generali. 1 5 8 0. celebrato fuit statutum. Sed si id nimis difficile videretur, saltem curent Reuerendi Prouinciales, ut in vnaquaq; Prouincia, in duobus Præcipuis, & magis commodis Conuentibus erigantur duo carceres, in quibus possint recludi Regulares delinquentes, tam ad pœnas, quam ad custodiam, cum omnibus rebus necessarijs, quibus idem in eisdem carceribus indigere possunt. Expensę vero, quę pro huiusmodi carceratis in dies fieri continget, soluentur á Prouintia iuxta taxam faciendã in diffinitorio Capituli. Ex Cap. Genc. Cre.

*Quomodo fratres se debent habere i eau sarum remissione.*

10. Adeant autem Fratres nostri superiores hoc debito modo, à Priore ad Prouincialem, à Prouinciali ad Vicarium, seu commissarium Generalem, si adest, & ab eo ad Generalem fiet huiusmodi causatum remissio, ut etiam in sacra super Regularibus congregatione fuit olim statutum, & qui secus fecerint, tanquam rebeles puniantur.

*Fugiēs in eodem cō uentu puniatur á quo aufugit.*

11. Vbi euitandæ correctionis regularis causa, quis effugerit, á quoquam etiam Prouinciali, nullo modo absoluatur, nisi prius pænitentiam egerit in Conuentu: á quo effugit, ut ibi culpas suas reparet, vbi eas commissit, in aliorũ ædificationem, & ne ex fuga, & apostasia sua putet se commodum reportaturum.

12. Vagi & profugi qui Romam petierint, traddantur carceribus sumptu Prouinciæ, cuius sunt alumni & filii.

*Prior non recipia fratres cō fugientes etiam ad Generalem sine licentia.*

13. Si quis Prior fratrem quem cunq; (nisi sit talis persona, de qua nulla omnino haberi possit fugæ suspicio) absq; sui superioris licentia, etiam ad Generalem, vel alium quem vis superiorem confugientem receperit. Sit eo ipso, ab officio suo absolutus: eundem tamen religiosum nullo modo dimittat, sed statim in carcerem detrudat, ac Prouincialem, vel Generalem, de talis religiosi fuga admoneat, ab eo q; responsum expectet.

14. Si vllus ex nostris regularibus inuentus fuerit exiisse tempore nocturno septa monasterij absq; sui superioris

rioris licentia, ad triremes per triennium condemnetur secuto scandalo, Si autem nullum fuerit secutum scandalum, carceri tradatur per sex menses. & per decennium priuatus sit uoce et loco.
15. Si ex nostris Regularibus ullus in domo inhonestarum mulierum á curiæ ministris captus fuerit, vel capiendus aufugerit, et de delicto perpetrato, vel tentato constiterit, indeq, scandalum sub ortum fuerit, eidem pœnæ omnino subijciatur.
16. Fratres laici, qui ingressi fuerint in Religionem, et in ea professionem emiserint, ut seruiant monasterijs: uilioribus obsequijs occupentur, nec tonsurentur tonsura clericali, qua, si aliquis Prouincialis vllum donare ausus fuerit, officio suo absq, mora priuetur.
17. Pœnis in nostris constitutionibus sacris parte secũda, capite quarto, contra conspiratores, et colligationem facientes descriptas: nos præ oculis habentes quorundam Regularium nostrorum malitiam, discordias, Zizania, l tes, et controuersias machinantium, confirmamus, ac carceris in triremium pœnam commutamus.
18 Vagi, apostatæ, & Regulares omnes nostri absq, licentia superiorum Ciuitates, oppida, cæteraq, loca ad libitum percurrentes, in carceres detrudantur á Prouincialibus, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis, ad triremes q, alligentur ad beneplacitũ Gen ralis, si præcedenti trina admonitione ad claustra nõ redierint, id quod de illis, qui dimisso habitu in studia incũbũt, est intelligendũ, qui etiã post ipsa peracta, nulla ratione sunt admittendi ad locum, & vocem, gradus uẽ aliquos, nisi per capitulum Generale.
19. Nullus audeat oppidum, vel ciuitatẽ exire, in quo manet, & alió se transferre absq, sui superioris licẽtia, in scriptis obtẽta, in qua dies recessus, tẽpus reuersionis, et locus, uel loca, ad quæ proficisci voluerit specificẽtur:

*Qui exiuerit a conuentu cum scandalo ad triremes condemnetur*

*Frater captus in domo inhonestarum mulierum ad triremes cõdẽnetur.*

*prouincialis non concedat licẽtiam fratribus laicis ut deferant coronas.*

*Pœna contra conspiratores cõfirmantur et carceris pœna mutatur in triremes.*

*Nemo exeat à conuẽtu sine licẽtia superioris.*

in obedientia Prioris: Si verò ad alterum locum iuiffe cō u ctus fuerit,& fic fuum Priorem deceperit.&ftatuta die non redierit,cessante omni legitimo impedimento, tanquam apoftata puniatur.

*Prior non poteſt dare licētiam fratribus tranſeūdi de prouincia ad prouinciam.*

20 Priori non liceat dare licentiam fuis Regularibus transeundi de Prouincia in Prouinciam, fed hoc munus eft Reuerendi Prouincialis,qui nifi urgeat necefsitas,eam non concedat,ne Religiofis noftris vagandi occafio tribuatur.Ex C. Ge.Cre.

*Qui litteras dimiſſorias falſas confecerit ſubiaceat pœnæ apoſtatarum.*

21, Qui aufus fuerit litteras dimifsorias falfas cōficere vel ab alio confectas producere: vel á non habente authoritatem requirere,aut illis uti,pæna apoftatarum et rebellium plectatur. Ex C. Gen.Cre.

22. Nullus cuiuscunq, gradus, & conditionis exiftat, audeat in conuentibus noftris locum dare cuilibet fæculari fugienti iuftitiam, vel iam condemnato,aut exuli fiue (ut aiunt) bannito feu ob debita,in ipfos, fe recipienti, fub pæna priuationis graduum, officiorum, dignitatum, ac vocis actiuæ et pafsiuæ lociq,ipfo facto incurrēda, ipfi non remittenda nifi per capitulum generale.

*Qua pœna puniēdus qui confugiētem iuſtitiam in conuentu receperit Regulares uenientes ad locum vbi eſt Ordinis conuentus ſtatim ſe corā Priore præſentēt*

23. Cum aliquis ex noftris religiofis ad vrbem,vel oppidum, in quo fit Conuentus noftri Ordinis appulerit,immediate ad monafterium fe conferat,ac coram Priore cū fuis dimifforijs fe præfentet,neq; ad horam aliò diuertere audeat, aut permanere abfq; Prioris illius Monafterij exprefsa, & in fcriptis obtenta facultate: fi quis autem aufus fuerit aliud efficere,Prior conuocato auxilio etiam brachij fæcularis, fi opus fuerit, talem fratrē,cuiuscumq; gradus et dignitatis exiftat, capere curet, & in carcerem conectum tanquam apoftatam puniat, & corrigat, nulla fuper hoc admiffa excufatione, &fi repererit ullum ex fuis religiofis fibi fubiectis cum tali apoftata, ipfo Priore videlicet infcio,communicaffe pæna rebellibus debita puniat,illumq; plectat.

Si vero

25. Si vero Prior resciuerit quem vis Religiosum, ad vrbem, vel oppidum, in quo Conuentus noster manet, appulisse, & extra Cōuentum absq; sua licentia pernoctasse, etiam in domo honestissima, vel alterius Ordinis monasterio, vel cibum sumpsisse, statim declaret eundem priuatum voce actiua, & passiua. Quod si ipse dissimulauerit, sit ipse eadem voce actiua, et passiua priuatus. Ex cap. Gen. Cre.

6. Innouamus nostram constitutionem parte prima. cap. 19. §. 9. qua præcipitur, quod nullus Magister, vel alius quilibet frater cuiuscunq; conditionis, et gradus existat, audeat retinere aliquem famulum sæcularem, sub pæna ibidem contenta, super quo statuto nec Prior localis (etiam consentiente Cōuentu) nec Prouincialis, nec capitulum Prouinciale dispensare poterit. Excipitur tamen Reuerendus procurator Ordinis, in curia inuictissimi Regis nostri Catholici. Excipiuntur etiā Cathedratici in vniuersitatibus solemnibus.

*Nemini (excepto procuratore ordinis in curia regis) liceat habere famulum sæcularem.*

# CAPVT QVINtum. De regimine rerum temporalium.

QVONIAM EXPERTI FVImus multa bona stabilia Religionis deperijsse, tum ob Priorum incuriā, tum ob aliquorum Regularium malitiam, vt aliqua ratione hisce incommodis occurramus, statuimus, vt infra sex mēses quilibet Prior conficiat inuentariū autenticum omnium rerum stabilium, prædiorum, domorum

*Prior conficiat inuētarium rerum stabilium sui cōuentus.*

morum,legatorum,censuum,& aliorum huiusmodi,cũ omnibus cohærentijs. & debitis personarum, locorum temporum,causarumq; circunstantijs: cuiusquidem inuentarij autentici duo conficiantur exemplaria, alterum maneat in arca trium clauium Conuentus, in qua etiam reponantur omnes scripturæ ad dictum Conuẽtum spectantes, alterum transmittatur ad Reuerendum Prouincialem, aliud per dictum Reuerendũ Prouincialem transmittatur Romam ad Reuerendum Procuratorem Generalem. Ex cap. Geñ. Cre.

*Archiuiũ commune in quali-bet Prouincia construatur.*

2. Ideo in qualibet Prouincia constituantur vnum Archiuium commune toti Prouinciæ, in quo sub tribus clauibus per tres in capitulo Prouinciali patres insigniores eligendos, cõseruentur præfata singulorũ Conuentuum inuentaria, de rebus stabilibus. Ex cap. Ge. Cre.

*Omniũ prouinciarum et singulorum cõuentuum inuẽtaria in archiuio Romano conseruentur.*

3. Romæ uero erigendum erit Archiuum commune (quod nos iam perfici demandauimus) sub cura, & custodia Reuerendi Procuratoris Ordinis, in quo conseruabuntur, totius Ordinis, omniumq; Prouinciarum, & singulorum Conuentuum, supradicta inuentaria, ut si vnum perierit alterim possit exhiberi, ad bonorum stabilium Religionis perpetuam, & inuiolabilem conseruationem. Ex Ca. Geñ. Cre.

*Inuentaria Romã quã primũ trãmittãtur*

4. Præfata inuentaria quam citius transmittantur Romam, vt statutum est: & in singulis Capitulis, seu congregationibus Prouinciarum inuicem cõferantur. Et si quid per aliquem conuentum fuerit, quouis titulo, seu emptionis, seu hæreditatis, seu donationis, aut alio acquisitum, vel permutatum, & alienatum, reponatur, in inuẽtario dicti Conuentus vel deleatur, ac de hoc statuto Prouincialis Reuerendum Procuratorem admonere tenebitur. Ex cap. Geñ. Cre.

5. Cum aliquis Prior absoluendus erit ab officio, vel in capitulo, vel extra ob aliquod delictũ, vel ad instãtiã ab

ipso

ipso factā, Prouincialis examinet diligēter, an Conuentus remaneat alieno ære grauatus: aut sint singulis fratribus integrè exhibita vestiaria: an reditus futuri sint exacti, vel oppignorati, an quicquā sit venditū, vel oppignoratū, aut deperditum, nam tunc Prouincialis, eundem Priorem in carcerem detrusum, perpetuó inhabilem ad omnia Ordinis officia, & dignitates in pœnam declarabit, nisi forte cōstaret aliquid, vel vetustate consumptum, vel citra Prioris culpam deperditum: quia in eo casu nemo indebite grauari potest. Ex ca. Gen. Cre.

*Quid agēdū cum aliquis prior ab officio absoluitur*

6. Si quis res sacras vēdiderit, vel oppignorauerit, absq; licentia Reuerendi Prouincialis (qui assensum præbere non poterit, nisi vel ob renouationē dictarū rerum sacrarū, vel in casibus summæ necessitatis (vt est dictū) etiam si eas redemerit, sit inhabilis ad decenniū ad omnia officia, et dignitates Ordinis atq; insuper uoce & loco priuatus solum per Generalem dispensandus. Ex cap. Gen. Crem.

*Qua pœna puniendus, qui res sacras vendiderit*

7. Cum aliquis Prior de nouo instituendus erit, curet vt à prædecessore recipiat inuentaria omnium bonorū mobilium, & immobilium infra octo dies sui offitij. Qui si in hoc negligens fuerit, intelligatur dicta inuentaria recepisse, ac de omnibus bonis dicti Conuentus, ad rationem reddendam teneatur. Sed si prædecessor reddere recusauerit, statim Prouincialē admoneat, qui sub pœnis sibi bene visis, dictum Priorem absolutum, ad reddenda dicta inuentaria compellet. Ex cap. Gene. Cremo.

*Prior de nouo electus curet inuētaria a suo predecessore recipere.*

8. Priores vero de nouo instituti, si in recipiendis inuentarijs supradictis, aliquid deesse conspexerint, Prouincialem admonitum faciant, ut (prout iustum erit) de satisfactione Conuentui faciēda prouideat. Quod si Priores in hoc negligentes fuerint, nec Prouincialem admonuerint, ipsi obligati sint ad omnia supradicta. Ex capi. Gene. Crem.

*Priores ad moneant prouincialem de defectibus in inuētarijs.*

*Prouincia les obligēt Priorē ab solutum reddere rationem introitus et exitus etc.*

9. Prouinciales cum absoluēt aliquem ab officio Prioratus, obligent eum sub pœnis sibi bene visis, ad reddendam rationem non solum introitus, & exitus, sed etiam ad consignanda inuentaria supradicta successori, infra octo dies. Et curent, vt ad se dicta inuentaria transmittantur, quæ in libro communi prouinciæ transcribi faciant, vt possint cognoscere, si quid deperditum fuerit, & de iustitia prouidere valeant. Ex Ca. Ge. Cre.

*Priores negligētes in reparādis fabricis ab officio absoluantur.*

10. Reparentur fabricæ veteres, et ruinam minantes ne corruant, collapsæ restituantur, et tecta sœpè reficiantur. In quo si Priores fuerint negligentes, vti inutiles in vinea Domini, á suis officijs absoluantur. Ex C. G. Cre.

*Nullus in alterius officio int. omittatur.*

11. Ministros habemus in Religione diuersos, pro diuersis functionibus obeundis, & ita distinctos, vt alter in alterius officio, se se impedire non valeat, nisi auxilij causa, ab altero requisitus, aut à superiore iussus, imo quando que; nec Priori licet alicuius ex istis offitium exercere, aut quoquo modo impedire sub pœnis in constitutionibus descriptis. Vt igitur quod antiquitus ritè in Ordine fuit obseruatum. & Patres nostri maturo consilio decreuerunt, minime postponatur, cogimur hæc ad memoriā reuocare: vt si quis contrauenire in posterum ausus fuerit, nullus ei veniæ locus relinquatur.

*Priores nō possūt quicquam statuere, vendere etc. sine clauariorum suffragijs.*

12. Quæ sit patrum clauariorum potestas, satis ex antiquis constitutionibus liquet. Caueant itaq; Priores, quicquam in suis conuentibus statuere, vendere, permutare, soluere, & alia efficere, sine illorum consilio, præsentia et authoritate, quia quicquid sine illorum suffragio fuerit effectum, nec recipi, nec probari volumus: ac in pœnam, Priorem ab officio absolui mandamus.

*Priori nō liceat expensas extra ordinarias facere, etc.*

13. Non audeat Prior præter expensas ordinarias, aliquam aliam vel facere, vel expenditori committere, non habito clauariorum consilio, Nēq; aliquam summā magnam pecuniæ quantumuis debitam absq; clauariorū præsentia

sentia, vel soluere, vel recipere. Neq; cuiuspiam rei, seu tritici, seu vini, seu olei, vel lignorum, aut similium expē sas facere, inconsultis clauarijs, hæc.11. omnia soli Priori minimè licere volumus. Similiter etiā idem Prior vllam conuentionem, aut pactum inire poterit, quacunq; de re, neq; rerum emendarum, vel vendendarum, nec famulorum conducendorum, nec construendæ fabricæ, et huiusmodi, eorundem clauariorum prius non inita consultatione. Demum intelligant Priores suum ipsorum regimen non esse liberum, & absolutum, sed ad normam optimè institutæ Rei publicæ; quæ per plures Consiliarios non per unum principem gubernatur. Et qui talem spreuerit regendi modum, inhabilis censeatur, ad officia Ordinis, ac per Prouincialem, vt talis, per decennium declaretur.

*tra ordinarias facere absq; clauariorū consilio.*

14. Clauarij vero postquam electi fuerint, solenniter iurabunt, præsente communitate conuentus, nemini adhærere, non complacere, non assentiri in ijs, quæ cedūt in damnum, & detrimentum Monasterij in rebus grauioribus, ac magis quod intendent, & inuigilabunt publicæ vtilitati, & indemnitati eiusdem. Quod si secus fecerint, solum vertatur in caput, & damnationem ipsorum.

*Clauarij publicè iurabunt nō assentiri Priori in his quæ in damnū cō uentus cedunt.*

15. Cæterum si aliquis Prior aduersatus fuerit patribus Clauarijs, vel eis comminatus fuerit: aut deponere ab officio tentauerit, quia partes Conuentus, et rationes tuentur, admoneatur Reuerendus Prouincialis: qui rei cognita veritate Priorem à sua functione absoluat.

*Prior qui clauarijs comminatus fuerit, quia partes conuētus tuen- tur ab officio depo- natur.*

16. Pecuniæ exactæ, seu quomodolibet acquisitæ, apud Priorem, aut Prouincialem nequaquam asseruentur sed in arca communi statim reponantur, inde cum opus fuerit, extrahendæ.

17. In quolibet Conuentu Sacrista habebit librum peculiarem, in quo conscribat sigillatim, & distinctè, cū omnibus.

*Pecuniæ in arca cõmuni afferŭtur.*

nibus circunſtantijs perſonarum,quantitatis pecuniarum cauſæ,& debiti,omnes eleemoſinas ex rebus ſpirituali • bus prouenientes,quas, qualibet hebdomada in publico refectorio,coram tota communitate,aſignabit Reuerendo Priori,& Clauarijs, qui easdem in libro Conuẽtus trãſcribent in capſa communi recludentes, & fratres, de perſoluendo debito propter eas,admonebunt:qui ſecus fecerit ſacriſta, abſolutus ab officio eijciatur extra Conuentũ,& Clauarij conſentientes voce, & loco priuentur, nec omnino cõcedimus ſacriſtæ,vt ex dictis pecunijs nec minimã portionem(etiam Priori petenti,aut cõminanti) concedat,et traddat,quam ſuprá eſt expreſſum.

*Sacriſta qui pecunias miſſarũ in arca non depoſuerit tanquam fur condemnetur.*

18. Et quoniam ſæpe ſæpius Miſſarum debitum ſtatim perſolui á fratribus non poteſt, ſacriſta omnes pecunias ex miſsis prouenientes in arcula recluſa in arca triũ clauium deponet:quam coram Priore.&Clauarijs in fine menſis vel hebdomadæ poterunt extrahi pecuniæ miſſarum iam dictarum,ſi vero renuerit ſacriſta,omnes pecunias vt ſupra deponere,vel infidelis repertus fuerit, vti fur condemnetur per ſex annos voce priuatus.

*Miſſarum eleemoſinæ a ſacriſta recipiatur.*

19. Miſſarum eleemoſinæ,quæ á beneuolis etiam extra Ciuitatem,& oppidum ad noſtra monaſteria transmittuntur,non ab alio,quam á ſacriſta recipiantur, & in libro vt ſupra conſcribantur,ſi vero ſacriſta abſens fuerit,a Priore, vel Subpriore præſentibus ſaltem duobus Clauarijs poterunt recipi.& eodem die ſacriſtæ conſignari,contumaces vero huius decreti,iuditio furti cõdemnati voce careant ad tres annos.

*Legata ſcribantur in libro.*

20. Habeatur liber magiſtralis,in quo omnia,&ſingula legata perpetua ſiue innumerata pecunia, ſiue in prędijs teſtamẽto à fidelibus Cõuentus relicta per manum vnius Clauarij ſcribantur,& à Reuerendo Priore, & cęteris clauarijs ſubſcribantur,qui curabunt,vt fideliter exigãtur, et debitum illorum quot annis perſoluatur.

Præci

21. Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ne vllus ex regularibus noſtris audeat recipere, & apud ſe retinere pecunias, aut eleemoſinas á fidelibus elargitas promiſſis celebrandis, quod ſi quis aliquas recepiſſe comprehẽſus fuerit, ſit exul á Conuentu per tres annos, & Pænis proprietatorũ, nulla ſuper hoc admiſſa excuſatione ſubiaceat, nullus namq; regularis, qui etiam voluntatem ſuã in manu ſuperioris reſignauit, alteri operam ſuam locare poteſt, ſed communitati inſeruire tenetur, de cuius bonis viuit, licebit tamen noſtris ſacerdotibus ſemel in hebdomada, miſſam celebrare pro ſuis parentibus, viuis aut defunctis, pro Sanguineis et benefactoribus.

*Qua pæna puniendus qui retinu erit eleemoſinas miſſarum.*

22. Sacriſta, expenditor, præpoſitus cellæ vinariæ, & panis diſpenſator, & cuſtodes prædiorum (vbi tales cuſtodes ſolent inſtitui) de triennio in triennium eligantur per ſuffragia ſecreta á Priore, Subpriore, Clauarijs, & Magiſtris in Conuentibus maioribus, at in illis, in quibus citra viginti fratres degunt á tota communitate eligantur. Qui ſic electi non poterunt á ſuis functionibus amoueri á quoquam, durãte dicto triennio, niſi propter exceſſum notabilem aliquis eorum mereretur ab officio deponi: quo caſu ijdem omnes ſimul iuncti eãdem cauſam examinabunt, & per ſuffragia item ſecreta quid ſit agendum determinabunt. At vero vno, ex iſtis vel legitimè impedito, vel abſente, ſi munus eiusdẽ alteri eſt demandãdum, hoc non ſolum Priori liceat, ſed de cõſilio clauariorum efficiatur, Prior vero alteri faciens vti reus malę adminiſtrationis puniatur. Procurator vero Conuentus, tam in minoribus, quam in maioribus Conuentibus à tota communitate ſemper eligatur.

*Quomodo eligãtur ſacriſtæ et cæteri offitiales.*



23. Habeatur liber, in quo ſcribantur breuiter, ſed diſtinctè, omnes redditus certi vndecunq; & quacunq; de cauſa proueniẽtes iuxta cõſuetudinẽ redditus Conuẽtus qui maneat apud Procuratorẽ, vt ſuo tẽpore omnes exi-

*Singulis menſibus ĩ libro ſcribãtur red-*

 gere

*ditus vnde cunq, prouenientes.* gere posit, & ne dñ qualibet hebdomada rationẽ reddat tã de exactis, quã de nõ exactis (causam reddẽdo cur suo tẽpore minimè exactos nõ exegerit) Reuerendo Priori, et clauatijs, sed ita ipse procurator, scribat in altero libro separato, quẽ apud se retinebit, vt in fine anni, & quando cũq; requisitus fuerit, etiã ad quinquaginta annos rationẽ reddere posit, quod ipse in suo officio fuerit fidelis, & diligẽs & facili negotio posit cognosci an omnes redditus certi sint exacti, ac in libro descripti, ne Cõuẽtus suis redditibus defraudetur. Caueat autem procurator ne redditus, quos nondum exegit, pro exactis conscribat: quia sic facillimé cum inter exactos ponantur, obliuioni traduntur, sed sigillatim Priori, & Clauarijs traddat redditus certos exactos ex vna parte, & non exactos, ex altera, tum vt ex collatione vtriusq; portionis, an sit fraus cognoscatur tum vt debita diligentia ad exigendum non exactos adhibeatur. Si vero in hoc vel fraus, vel negligentia interceserit, tam Prior, et Clauarij, quam Procurator inhabiles ad omnia Ordinis officia declarentur arbitrio Generalis. Si qui reddirus certi suo tempore non fuerit exacti, cũ uel eidem Procuratori, vel alteri redditium certorum nota consignatur per totum annum, specialis etiam fiat mentio illorum, qui in anno, vel annis præteritis non fuerunt exacti, ut omnimoda diligentia ad exigendum posit adhiberi.

24. Omnes expẽsæ cuiuslibet exitus, siue pro infirmis, siue pro hospitibus, siue pro qualibet causa sigillatim, et distinctè annotentur in libro exitus Conuentus, et non confusé una cum pietantia, vel sub nomine infirmorum & hospitum genericè, sed sigillatim pro quolibet particulari infirmo, & singulari hospite, & expressé in libro nominentur res illę, pro quibus factæ sunt expensæ: et quod pro una re fuit expositum, sub alio falso nomine minimé scribatur, ne detur aditus et occasio liberé exponẽdi *Expensæ factæ pro infirmis in libro annotentur.*

plusquã

plusquam deceat. Nam ex sumptibus inuoluté scriptis est via facilis ad fraudes in detrimentum Conuẽtuum, Prior vero, & Clauarij secus facientes, vel consentientes puniantur vti infideles administratores, nam sic vt tales conuictos esse decernimus, atq; insuper ad nullum Ordinis officium per decem annos assumantur.

25. Cum aliqua Fabrica notabilis erit facienda primo habeatur consensus Clauariorum, graduatorum: & Seniorum Conuentus, deinde admoneatur Reuerendus Prouincialis, aut ab eo expectetur beneplacitum, tandem ab aliquo egregio et artis perito architecto cõficiatur totius fabricæ construendæ forma, siue exemplar, nec quilibet Prior aut minister suo arbitrio vti velit in constructione fabricæ, sed quod fuerit inceptum: omnes prosequantur. *Nulla fabrica construenda sine clauariorum cõsensu.*

26. Expensæ huiusmodi Fabricarum in libro separato conscribantur, vt facilius sciri possit pecuniæ quantitas in ædificijs expensa. *Quæ in ædificijs expendũtur in particulari libro conscribantur.*

27. Pecuniæ, quæ pro legatis perpetuis Monasterio relinquentur, non expendantur, sed in aliqua re stabili aut Censu perpetuo omnino implicentur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & inhabilitatis ad omnia officia Ordinis tam Priori contrauenienti, quam Clauarijs consentientibus. *Pecuniæ legatorum rei stabili implicẽtur*

28. Sub eisdem pœnis præcipimus ne pecunias quas quandoq; ad extinctionem censuum recipit Cõuentus, in alios vsus conuertant, sed vt supra quam primum implicent. *Pecuniæ censuum in alios vsus nõ conuertantur.*

29. Similiter sub eisdem pœnis præcipimus Prouincialibus, Prioribus, & Clauarijs ne hæreditates seu legitimas (vt vocant) vel iure hæreditario, vel alia de causa ad monasteria spectantes vendere, aut alienare audeant, sed si ob aliquam Regiam legem coactus fuerit Conuentus prædictas, hæreditates vẽdere, pecunias inde prouenientes *Superiores nõ possunt vẽdere hæreditates.*

G minimé

minimè consumant, sed vt supra quam citissimè impliscent.

*Super bonis conuentus superiores non imponant censum.*

30. Sub eisdem pœnis interdicimus Prouinciali, Prioribus, & Clauarijs, ne censum super monasterij bonis imponere audeant, quacunq; de causa, nisi prius consulto Generali Ordinis, qui de hoc quid sit agendum statuat.

*Superiores non possint bona stabilia et annuos census oppignorare nec permutare.*

31. Adhuc sub eisdem pœnis facultatē adimimus cuicunq; nobis inferiori, etiā capitulo Prouinciali bona stabilia, & annuos cēsus oppignorādi, permutādi, et eo minus vendendi, & alienandi, neq; in hoc, decretū nostrarum cōstitutionum parte pri. cap. 2. 7. vlla ratione valeat suffragari, cum hæc facultas permutandi per priuilegium Apostolicum soli Generali Ordinis sit reseruata: et cum hac limitatione, ne consensum præbeat alienationis, et venditionis contractibus, nisi eodem die fiat implicatio earundem pecuniarum, in alia re stabili in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.

*Prædia deinceps ad vitam non locentur.*

32. Tandem sub eisdem pœnis præcipimus, ne prædia nostra ad vitas deinceps locentur. De his tamen quæ nunc concessa reperiuntur, nihil penitus innouetur, sed permuttatur locationis tempus terminari. Quo tempore absoluto, Cōuentus ad quem huiusmodi prædia pertinent, quid magis expediat, determinabit cōsulto etiam super hoc Reuerendo Prouinciali.

*Prior non sit expeditor.*

33. Non liceat Priori etiam pro necessitate Conuentus procuratoris, seu expenditoris officium exercere, sub pœna in constitutionibus descripta.

*Expeditor habeat librum.*

34. Expenditor cuiuscunq; Conuētus librum habeat, in quo omnes expensas, quæ qualibet die fiunt fideliter annotet, vt si aliquod dubium super expensis emerserit, inspecto libro expenditoris, tollatur.

*Prior qui frumentum vinum & oleum vendiderit puniatur.*

35. Non vendatur Frumentum, Vinum, et Oleum, et cætera huiusmodi quæ sunt necessaria pro victu Religiosorum, quod si superesset tempore debito de licentia

tia Prouincialis, vēdatur. Sed si aliquis Prior huiusmodi res vendiderit, & postea eas ob fratrum victum emerit ab offitio deponatur, ad nullas dignitates et officia Ordinis assumendus per decennium. Ex cap. Geñ. Cre.

*Priores qui inuentaria bonorũ cõuentus ad ca. Prouinciale nõ detulerint extra gremiũ eijciantur.*

35. Teneantur singuli Priores deferre ad Capitulum Prouinciale inuentaria quoruncunq; mobilium, & ſe mouentium suorum Conuētuum, etiam comestibilium, et rerum ad sacristiam, et ecclesiam spectantium, nec non etiam omnium rerum stabilium, atq; etiam legatorum, cēsuum, & aliorum huiusmodi ac ea, á patribus Clauarijs, et in minoribus Conuentibus, á patribus ibidem degentibus subscripta, præsentare Reuerendis Prouinciali, & dissinitoribus: in quo si defecerint, eijciantur extra gremiũ priuati voce actiua et passiua, & cum eis dicti Reuerēdi Prouintiales, & diffinitores nõ audeāt dispēsare, seu dissimulare, quod si effecerint. Declaramus ex nũc pro tũc: omnia acta Capituli irrita, et nulla esse. Ex cap. Ge. Crem.

*Prouinciales examinet inuētaria rerum mobiliũ. & immobiliũ*

37. Prouincialis ne dum in suis visitationibus, sed etiã in Capitulo Prouinciali vna cum diffinitoribus examinet inuentaria supradicta mobilium, & immobilium, eaq; conferat cum inuentarijs descriptis in libro Prouinciæ; & teneatur admonere patrem Ordinis, seu si absens fuerint, Procuratorem Generalem de omnibus mutationibus in singulis inuentarijs factis, & si Prouincialis negligens fuerit in puniendo eos, quos reos inuenerit, circa fidelitatem dictorum innentariorum: vel in collationibus, & admonitionibus vt supra faciendis; eo ipso intelligatur suspensus ab offitio, & inhabilis ad omnia offitia, & dignitates Ordinis in perpetuum, solum per Capitulum Generale dispensandus. Ex cap. Ge. Cre.

*Quarta legitime pars potestremitti parenti bus fratrũ pauperibus*

38. Nulla deinceps fiat legitimæ seu portionis fratrũ remissio, absq; capituli Cõuentualis decreto, & capituli Prouincialis cõsensu, & tũc nõ remittātur nisi quarta legitime pars; nisi tāta esset parētum, & cõsanguineorũ fratrũ nostro-

nostrorum egestas, vt pro eleemosina eisdem eroganda iudicio vtriusq; capituli æquum, & pium esse censeatur, tertiam, vel dimidiam ipsius legitimæ partem remittere. Si quid vero in contrarium factum fuerit, tanquam nullum habeatur,

*Priores nō possunt cō mutare fabricas capellarū in alios vsus.*

39. Fabrica capellarum Ecclesiæ nulla ratione in alios vsus conuertatur, ne testantium voluntates defraudentur, et vt Capellæ pulchrioribus ornamentis, & parietibus, et tectis exornari possint: vt autem hæc melius obseruari queant, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt talis pecunia reponatur in arcula, quæ in arca depositi seruetur, et fiat vnus liber specialis, in quo scribantur recepta, & expensę quæ factæ fuerint talis fabricę, vt scire possit Prouincialis, et capellarum domini, quo modo expensa sit. Priores vero seu Clauarij secus faciētes per sex annos ad nullum assumantur officium.

*Qua pæna puniendi priores qui Conuētum ære alieno oppressum reliquerit*

40. Priores, qui cernentes appropinquare terminum suorum officiorum, vel redditus certos per anticipatiōnem exegerint, vel Conuentum ære alieno oppressum relinquerint etiam si ipsum æs alienum contractum sit ædificiorum construēdorum gratia, vel granum, vinum, oleum, arietes, et alia victui religiosorū necessaria, incōsulto Prouinciali, vendiderint, per sex annos, sint ad omnia Ordinis officia inhabiles, ac per annum integrū etiā loco, & voce actiua priuati solum á Generali Ordinis restituendi.

# ¶CAPVT SEXtum de Infirmis.

Inter

INTER OMNIA MISERICORdiæ opera corporalia, infirmorum cura tio maximè splendet, & effulget, ac Religionum studio valde accommodata. Ideo in omni Conuentu deputetur ministri, & custodes amicabiles infirmorũ qui omni diligentia studeant eis inseruire. Ex cap. Gen. Crem.. *In omnibꝰ conuentibus deputentur ministri qui seruiant infirmis.*

2. Reuerendi Priores eorumq; Vicarij semel saltem in die (vt per Soreth fuit definitum) visitabunt infirmos, et inquirēt quo pacto eis inseruiatur; & si in eius modi Charitatis officio aliquos culpabiles inueniēt pro modo culpę grauiter puniant. Ex cap. Gen. Crem.. *Priores semel saltem in die visitent infirmos.*

3. Quando aliquis est graui infirmitate oppressus, ex ijs, qui fuerint ad eius obsequium deputati, saltem vnus semper continueq; assistat infirmo, nec quacunq; de causa eum derelinquat solum, ne ob incuriam ministrorum incurrat in aliquod animę, vel corporis periculum. Ex cap. Gen. Crem. *Valde laborātes soli nō relinquantur.*

4. Prouidebunt Priores de omnibus necessarijs, tam pro remedijs, quam pro cibis exhibēdis, prout medicus instituerit, sine vlla personarum acceptione, etiam si non sint ex illo Conuentu, vel Prouincia in qua tunc temporis manent, sub pœna perpetuę inhabilitationis ab omnibus officijs. Ex cap. Gen. Cre. *Priores prouideāt infirmis de necessarijs.*

5. Inhibemus ne fratres nostri in domibus secularijs infirmi commorentur, licet nulla de illis habeatur mala suspitio, sub eadem pœna. Ex cap. Gen. Crem. *Infirmi nō curētur in domibus secularium.*

6. In locis autem nostris vbi frater aliquis vndecumq; sit, quamuis hospes, vel peregrinus inceperit infirmari, ibi moram faciat, donec conualuerit, eiq; , sicut de alijs fuit expressum, de necessarijs prouideatur. Ex cap. Gen. Crem. *Hospitibꝰ et peregrinis infirmis necessaria prouideantur*

7. Medicus minutionem seu flebotomiam, aut alia quę

*Remedia ordinata à medico ad sanitatem infirmorũ adhibeantur.* quæcunq; remedia alicui infirmo ordinauerit, nec ob negligentiam custodis, aut Prioris tenacitatem fuerit adhibitum remedium: atq, inde sit subsequutum aliquod periculum notabile, ob defectum talis remedij, custodi negligenti grauior pœna per viginti dies infligatur: Prior vero recusans deponatur ab officio, & si mors fuerit subsecuta, declaretur, qui in culpa fuerit, suspensus, perpetuo á diuinis, si in sacris extiterit, sin minus carceri tradatur per Priorem Generalem absoluendus. Ex cap. Gen. Cre.

*Infirmis qui confiteri renuerint necessaria non prouideantur.* 8. Sed ne dum corporis sanitatem quærimus, animæ salutem videamur negligere: cogant superiores, vt per sacros Canones est statutum, quoscunq; infirmos statim in principio suæ infirmitatis peccatorum suorũ omniũ cõfessionem facere sacerdoti, per ipsum ex Ordine nostro eligendo, si ad hoc idoneus fuerit, & si vltra primam diem misericorditer admoniti confiteri neglexerint, eis non prouideatur de remedijs corporalibus. Ex ca. Ge. Cre.

*Infirmi hortentur ad sacrã Eucharistiam & Oleum* 9. Vbi vero confessus fuerit frater infirmus, ei ad memoriam reducatur, vt sacratissimum viaticũ deuoté suscipiat, si nullum fuerit impedimẽtum, quo minus possit, qualis est vomitus, & huiusmodi, & si periculũ esset mortis, eum admoneant de Sacramento Extremæ vnctionis, atq; conferantur. Ex cap. Geñ. Cre.

*Qua pœna puniendus, qui nõ fideliter reuelauerit ea quæ antea habebat ad vsũ* 10. Inter cætera vero admoneatur infirmus (postquã Deo ad solamen conscientiæ suæ satisfecerit) bona quæcũq; quorum vsum incertum antea habuerat, aut inscio Prælato retinuerit, reuelare in præsentia Prioris, duorũ, vel plurium fratrum de Conuentu, quod si non fecerit ea fidelitate, qua tenetur, & super hoc eum mori contigerit, Ecclesiastica careat sepultura, & suffragijs diuinis sicut sacris præcipitur Canonibus, si vero super vixerit iisdem priuetur, tantum relictis sibi necessarijs.

Ex cap. Geñ. Cremo.

Caput

# CAPVT SEPTImum De nouitijs, & professis, eorumq; Religiosa institutione.

TANTA CVRA, TANTAQ; animi sollicitudine. S. D. N. Clemens Papę iussum, et iudicatum est, vt in qua liber nostri Carmelitici instituti Prouintia excitentur, et construantur nouiatus formati, sub claustrali custodia, in quibus tanquam in virtutis, et omnis honestatis seminarijs oriri, et vigere possit pristinus ille Monasticæ vitæ candor, et regularis instituti splendor, vt ex hoc facilé perspicere, et intueri cuilibet liceat, quantam pro hac sancta Beatitudinis suæ intentione ope re cōplenda, Prouincialis ipsi diligentiā adhibere debeāt. Hinc fit vt exhortemur, moneamus, obsecremur omnes in Domino, ac districte præcipiamus, vt nulla admissa excusatione singuli Prouinciales in suis Prouincijs ordinent, & instituant vnum, vel alterum (si opus fuerint) Conuentum, in quo sit formatus nouitiatus, & professatus, in quibus omnes illius Prouincię nouitij, & professi non dum ad sacros ordines promoti recludantur; obseruaturi ad vnguem omnia, quæ in nostris constitutionibus, & regula saluberrimé sunt ordinata, ut sic per plures annos probationis, et professatus in totali regulę, & constitutionum obseruantiæ arctitudine, et rigore educati: postquam sacris initiati inde excesserint, difficultatem non sentiant in regulę obseruantia, imo alijs potius sint exemplo. Ideo cogantur ad obseruationem ieiunij, silentij, mansionis

*In omnibus prouincijs nouitiatus et professatus cōstruantur in quibus recludantur nouitij professi.*

in cellulis, paupertatis, & aliorum omnium, quę in regula, et constitutionibus præcipiuntur, neq; vlla ratione fiat cum illis dispensatio, vel relaxatio, non etiam alijs vtantur camiseis, & linteaminibus quam laneis. Demum ne iota vnum, aut vnus apex ex constitutionibus vel regula ommittatur, ad cuius obseruantiã non compellantur.

*Nihil recipiatur pro admissione nouitiorum ad habitum.*

2. In recipiendis autem ad habitum nostrum, & Religionem nouitijs, vt simoniæ peccatũ euitetur, nihil omnino pro huiusmodi ad habitum admissione quacunq; de causa (victu et vestitu excepto) recipiatur. Admoneatur tamen recipiendus, vel eius parentes, curatores, aut propinqui de Cõuentus, & religionis nostræ paupertate, atq; adeo curent Priores et Clauarij, vt eius parentes, curatores, aut propinqui prouideant de omnibus supellectilibus necessarijs religioso, pro vt supra fuit expositum, et moneatur recipiendus resignare omni iuri repetendi vestimenta facta ad modum Ordinis, cappam cum tunica, scapulari, & caputio, à quocunq; ea susceperit, vel etiã de propria pecunia emerit, eo casu quo ab Ordine resiliret, vel eiectus fuerit. Ex cap. Geñ. Cre.

*Nouitij ad ordinẽ recipiendi iuxta decretũ Xixti. V.*

3. Maiores sexdecim annis, non aliter ad Religionem admittantur, quam iuxta moderationem constitutionis Xixti quinti, scilicet extra Capitulum Prouinciale, vel Generale, de licentia tamẽ Prouincialis, à tribus vel quattuor vocalibus fiat diligens inquisitio, de eorum parentibus, patria, ante acta vita, & moribus, & fiat processus ne homicidę, vxorati, latrones, aut ære alieno grauati, vel iustitię seculari obnoxij, aut infames recipiantur, sub pęnis in dicta constitutione contentis. Ex cap. Geñ. Cre.

*Recipiẽdi sint honestis parentibus nati et bonis moribus imbuti.*

4. Sint etiam recipiendi ad habitum ex honestis, et catholicis parentibus procreati, de quibus nulla flagret infamia notabilium criminum, sintq; illi honestè ac catholicé educati, vt tam ex natalibus, quã ex educatione, bona de ipsis spes concipi possit. Ex cap. Geñ. Cre.

Cęterum

5. CAETERVM animaduertant Priores seruare ea, quę sunt ser uan ia iusta constitutiones Sixti quinti.&Gregorij. XIIII.fe, re. qui si filios parentum infamium, vel personas met infames ad habitum admiserint,ac super hoc debitam diligentiā adhibuisse non probauerint, suis functionibus absoluantur, & dicti filij habitu priuentur, etiam si fuerint professi.Eo cap,Gen. Cre. *In fames & filij parentum in famiumad ordinē non admittantur.*

6. Non recipiatur nouitij,quisint Neophiti ex iudeis, vel Mauris procreati, iuxta statutum á Reuerendissimo Rubeo predecessore nostro, quod et nos inuiolabiliter obseruari mandamus, Si qui vero aliter, &absq; preuia omnium istorum inquisitione recepti fuerint, receptio sit nulla.& ipsi ad professionē emittēdam non admittantur.Imo vt omnes tollantur fraudes, quę fieri solent ab istis, cum sunt recipiendi, falsos testes producendo, et mendacia fingendo, volumus,vt cum aliquis sit ad habitum recipiendus,et mox ad professionem admittendus fiat coram testibus protestatio,quod hac conditione, & non aliter recipitur ad habitum,vel ad professionem admittitur,quod sit ex veteribus Christianis procreatus, & quod si vlla interuenerit deceptio,& dolus abOrdine expelletur,etiam subsecuta professione.Quod si quis, quacunq,fulgeat dignitate in Ordine,tales sic impeditos receperit,ipsum ex nunc pro tunc ad omnia officia per decennium inhabilem declaramus,& sic receptum, etiam professione facta,ab Ordine expelli mandamus. Ab hoc tamen decreto excipimus illos, qui ex aliqua parte claro,et veterum Christianorum sanguine sint procreati, vel ita noti Regi,et per eum nobilitati,& decorati muneribus,et dignitatibus, vt repudiatis ijs magnum oriatur scandalum,& propinquis fiat iniuria. *Quę pęna puniē diqui Nephitos ex Iudeis, vel mauris receperint*

7. Fratres alienę Religionis non recipiantur ad habitū nostrum nisi in Capitulo Generali, etiam si obtinuerint literas á S. D. N. Papa, qui tamen modo recepti iam *Nouitij quotidie orationi mētali vacēt.*

sunt habeantur tanquam legitimè,& optimè recepti, Ex cap.Gen.Cre.

*Nouitius profugus vlterius ad habitū nō recipiatur*

8. Si quando euenerit quempiam ex nouitijs temerè á Conuentu fugam capere,ac extra cōuētum in domos sæcularium se conferre. Ordinamus non posse hunc amplius ad habitum Religionis,atq; adeó intra Conuentum recipi absq; expressa licentia Prioris Generalis, & hoc pro prima vice,quod si secunda vice hoc idem effecerit tunc neq; Prior Generalis sinè Capituli Generalis consensu eundem admittere valeat. Cum vero pro prima vice admittetur,incipiet annum probationis,a die, quo iterum fuit in Religionem acceptatus. Ex cap. Gen. Cre.

*Nouitius repudia-tus in alio ordinis cō uentu non recipiatur*

9. Si euenerit nouitium quempiam in Conuentu, in quo annum probationis perfecit, á Regularibus nostris nō admittised repulsam pati,statuimus non posse,in quolibet alio Religionis nostræ Monasterio accipi, sub pæna priuationis officij,& dignitatis Priori,et accipientibus infligenda. Ex ca. Gen. Cre.

*Nullus frater extra suam prouinciā professionem emittat.*

10. Nullus Regularis alienę prouinciæ emittat professionem extra prouinciam,nisi de assensu illius Conuentus suæ prouinciæ,in quo integrum annum probationis habuerit. Ex cap.Gen. Cre.

*Habeat cō sensum cō uentus sub cuius nomine profite-tur.*

11. Nullus etiam professionem emittere tentabit nomine alicuius Conuentus,sine assensu gremij illius Conuentus sub cuius nomine professionem emittere volue- rint. Ex cap.Gen, Cre.

*In affiliatione semper consentire debet conuentus.*

12. Non poterit aliquis affiliari,seu incorporari ex Cōuentu in alterum,sine assensu,& voluntate gremij Conuentus,cuius filius esse optabit,ita vt tam in professione quam in affiliatione habeatur assensus gremij Cōuētus: Ex cap. Gen. Crem.

13. Iuuenes ad habitum nostræ Religionis amplius nō assumantur,nisi in lingua latina ita sint sufficienter exercitati,vt absq; Gramaticæ Magistro,probationis anno cō pleto

pleto professionem possint emittere, & ad audiendam dialecticam promoueri,& hanc latini sermonis sufficientiã cognoscent duo examinatores,vel Magistri in Theologia,vel graduati,vel lectores actu legentes, qui à toto Conuentu eligentur:qui sic electi iurabunt coram toto Conuentu,quod fideliter officium examinatorum administrabunt. Caueant autem prędicti examinatores,ne aliquem indignum,& latini sermonis ignarum subcriptione sua approbent,sub pæna priuationis gradus, & dignitatis vocis, & loci per annum. Nec poterunt prędicti examinatores postquam electi fuerint,officio resignare, nec aliquam prætendere excusationem,sed per tres annos illi officio inseruiant in Dei honorem,& nostrę Religionis,decus,et augmentum.

*Ad ordinẽ non admittantur nisi qui linguã latinã calluerint.*

14. Si aliqui tamen fuerint ex illustrissimis, & generosis parentibus,vel apprimé in arte canendi,& pulsandi organa periti cum aliqua tamen latini sermonis notitia, et cognitione poterunt,si ita videbitur gremio expedire., recipi,aliter eorum receptio sit nulla,illosq; sic receptos prohibemus ad probationem per annum in ordine faciendam,admitti , & Prior eos proponens, vel recipiens ab officio statim deponatur,itaq; latini sermonis expers nulla de causa recipiatur.

*Ex illustribus parẽti bus nati et in arte canendi periti poterũt ad ordinẽ admitti.*

15. In quolibet nouitiatu duo Magistri collocentur, quorum alter ea,quæ ad bonos mores,pietatem,honestatem, et Regularis vitę obseruantiam spectant, edoceat,absq; vlla relaxatione,seu mitigatione ( vt dictum est) alter, in his,quę ad bonarum litterrrum studia grammatices,et Rethorices,eos instruat. Quod si qui essent ita prouecti , vt hiscè studijs minime indigerent , sed iam in Philosophiam,seu Theologiam incubuissent, ne id quod iam addidicerunt, obliuioni traddant, omnino prouideatur . Non tamen ad collegia poterunt mitti, ęquum est enim,ut prius religiosi quam in arti-

*Duo magistri sint in quolibet nouitiatu*

bus docti esse addiscant. Illis vero, qui ad cantum, & artem pulsandi organa erunt aptiores, assignentur Magistri, qui hanc artem illos edoceant: priores autem qui neglexerint sub quocumcunq; prætextu, prouidere nouitijs, & professis tam de magistro bonarum litterarum, & cantus, quam de magistro morum, ab officio penitus absoluantur.

*Nouitij quotidie orationi mētali vacēt.*

16. Nouitij singulis diebus, absoluto prius ad quod tenentur officio, omnes in ipso nouitiatus oratorio per semi horę spatium dent operam orationi mētali, omnesq; simul congregati se exerceant in meditationibus. & contemplationibus: in quibus, vt in eorum mentibus aliquē fructum afferāt, á Magistro instrui debebunt, vt sperī etiā prius quam cubitum eant, per semi horā in præfato oratorio vnusquisq; eorum sigillatim, & secretó cum maxima humilitate propriam examinabit conscientiā, Deum pro delictis, eo die cōmissis, & bonis omissis, pro venia rogans, ac de beneficijs acceptis gratias referens.

*Litania quotidie a nouit. ʒ in choro dicā tur.*

17. Quolibet item die hora competēti á Magistro morum assignanda omnes nouitij ad Chorum conueniant, ibiq; litanias recitent cum precibus pro fælici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro hæresum extirpatione, Principum Christianorum pace, & vnione, néc non pro inuictissimi Regis nostri Catholici, serenissimi Principis, ac totius Regiæ prolis diuturna conseruatione.

*Quid habere possint nouitij in cellulis.*

18. Et vt paupertati quam primum assuescant, nihil in eorum cellulis præter simplicem, & vilem iuxta regulæ obseruantiam lectulum. 4. palmorum latitudinis, mensulam ad scribendum, & scabellum ad sedendum concedi poterit. Cætera quæ eorum vsui necessaria videbuntur, in Camera communi in eodem nouitiatu existente, asserientur.

19. Nouitij nunquā exeant á nouitiatu, nisi vel ad chorum, aut Refectorium, vel processionē, aut ad administrā dum

dum Misſis fuerint vocati: ſemel tamen in menſe omnes (de bita honeſtate ſeruata) ad aliquem locum, intra Conuentum, recreationis cauſa progredi poterunt, ſemper exiſtente ibi eorū magiſtro, & ſolo, cæteris quibuscunq, excluſis, neq, cum eis quiſpiam loqui valebit, licet ſit cō ſanguineus, vel parentes eorundem. *Nouitij ſemel in mē ſe ad locū recreationis cū magiſtro ſolo poſſūt egredi.*

20. Si quis cuiuscunq; ſit dignitatis, & conditionis auſus fuerit deputare nouitium, vel profeſſum, non dū ad ſacros ordines promotum ad obſequia cuiuscunq; extra nouitiatum, vel etiam ad ſeruitia publica, vt puta, portæ, coquinæ, cellæ vinariæ, & ſimilium, vel etiam ad alios Conuentus, vbi nouitiatus vel profeſſatus non habētur tranſmittere, vel vt cameram cuiuscunq, etiam ad horā ingrediatur, permittere, ſit eo ipſo priuatus officio, & voce actiua, & paſsiua arbitrio Generalis. *Nouitij & profeſſi ad obſequia extra nouitiatū non deputentur.*

21. Nouitij nō ab aliquo, quam ab eorū magiſtro corrigantur, in nouitiatu. Si vero contigerit quemquam illorum in capitulo culparum de aliquo errore, atq; delicto accuſari, aut reprehendi, ob quod merito corrigi, et caſtigari deberet, omnem corrigendi facultatem omnibus Religioſis adimimus etiam ſubpriori: Prior tamen cum aliquem nouitium corrigere voluerit, in Capitulo, aut nouitiatu, & non alibi corrigat, et emendet. *Nouitij nō corrigantur niſi à Magiſtro et in nouitiatu.*

22. Idem omnino obſeruari volumus, de profeſsis non dum ſacris initiatis. Quam ob rem inuigilabunt Prouinciales vt quo ad eius fieri poterit res tanti momenti non euaneſcat, ſed in dies augeatur, & creſcat. *Profeſſi nondum ſacris initiati legibus nouitiorū teneantur.*

23. Studentes tam artium, quam Theologiæ non dū ad ſacerdotium promoti, non eximuntur ab obſeruatione eorum omnium, quæ in his noſtris conſtitutionibus pro profeſsis ſunt ordinata, quatenus cum exercitationibus litterarijs nō pugnent. Ideo ordinamus vt Subprior Conuentus, vel aliquis venerandus pater à Priore deputatus cogat ſtudentes ad obſeruationem ieiunij, ſilentij, *Studentes profeſſi nō eximūtur ab obſer-*

*mantia con stitutionũ pro profes sis.*

orationis mentalis,& paupertatis:& similiũ,quæ nõ pugnant cũ litterarũ studijs, imo illa prouehunt,& adiuuãt.

*Magistri nouitiorũ non accipiãt dona à parentibus nouitiorum.*

24. Et quia nihil magis mentes hominum excæcat,quã munera,ne liberum de rebus sibi creditis possint ferre iudicium,quod quidem,vel maximé clarum esse debet, & ab omni affectione denudatum in discernendis iuuenum moribus,ingenijs et propensionibus: Id circo prohibemus Magistris nouitiorum,& professorum ne aliquid à parentibus,vel consanguineis,vel amicis eorum accipiant sub pæna depositionis ab officio,et priuationis vocis,& loci,per tres annos irremissibiliter infligenda.

*Decreta quæ his opponuntur nullius sint valoris.*

25. Cætera autem statuta,quæ cum his pugnare videntur,circa instructionem nouitiorum cassamus, & cassata esse declaramus.

# CAPVT OCTAuum. De Prædicationibus, Confessionibus,& Ordinibus Sacris.

*Prædicatores sine licẽtia Prouincialis nõ se astringant alicui ad prædicandum.*

VT IN OMNIBVS VIGEAT obedientia, mandamus omnibus prædicatoribus, ne se alicui prælato, vel communitatibus astringant ad verbum Dei prædicandum per quadragesimam sine licentia Prouincialis in scriptis obtenta, né ue se conferant in aliorum Ecclesias spe lucri,relictis proprijs Ecclesijs,sub pæna priuationis omnium priuilegiorum Doctoribus, & Predicatoribus concessorum. Ex cap. Gen. Cre.

2. Prædicatores nostri penitus se abstineant inter prædicandum á quæstionibus, disputationibus,& subtilitatibus

bus scholasticis, atq; ab omnibus curiositatibus, et doctrinis, quæ simplicium mentes turbant, & perplexos animos reddūt, studeant igitur explanationibus apertis, & vtilibus prouocantibus affectum ad deuotionem, & intellectum ad cognitionem veritatis, literam Euangelij exponantnon discedendo à Sanctorum patrum interpretationibus, sic q; vitia reprehendant, vt peccantes publicé non infament. Ex cap. Geñ. Cre.

*Prædicatores se à subtilitatibus abstineant scholasticis.*

3. Prædicatores ne retineant neq; occultent eleemosinas suis prædicationibus acquisitas, sed assignent Priori in arca communi recludendas. Prior vero sit discretus in dandis necessarijs, & emendis libris ipsis prædicatoribus, ita vt, si in subiectis est obedientia, sicur esse debet, sic in illis, qui præsunt, sit Charitas, & benignitas.

*Prædicatores eleemosinas prædicationibus acquisitas assignare teneātur priori.*

4. Nullus admittatur ad confessiones sæcularium audiendas qui trigesimum non compleuerit annum admisus in capitulo Prouinciali, & præuio rigoroso examine approbatus per examinatores, à Prouinciali capitulo deputandos, & nisi vel Theologiæ cursus perfecerit, vel casus conscientiæ per tres annos audierit, & Prouinciales non audebunt aliter ad confessiones admittere, sub pæna suspensionis ab officio per sex annos. Ex. c. G. Cre.

*Qualiter cōfessores admittātur ad confessiones secularium.*

5. Confessarij sub pæna priuationis audiendarum confessionum per decennium non audiant fideles á confessionibus, nisi sedium suarum, fenestrellæ fuerint contextæ lamina, seu crate ferrea. Ex cap. Ceñ. Cre.

*Fenestella sint cōtexta lamina ferrea.*

6. Prædicatores omni tempore diebus sabbati in prædicationibus suis, vltra explanationem Euangelij et aliarum doctrinarum semper aliquid prædicent de beatissima, & fæliecissima virgine Maria Dei genitrice Domina huius nostræ religionis Montis Carmeli, atq; faciant ob deuotionem populi in laudem eiusdem pijssimæ matris: Amplius recordabuntur prædicare de sanctis nostri Ordinis, & sæpissime aliqua exponent de antiquitate, & am-

*Prædicatores aliquid de beata virgine in suis prædicationibus dicant.*

plitu-

plitudine ordinis nostri, ac indulgentiarum illius, & secus facientes non admittētur ad illud sacrum munus obeun-dum. Ex cap. Geñ. Cre.

*Qui sunt casus quos sibi possint superiores reseruare.*

7. Et quoniam nostris constitutionibus prima parte, cap. 10. 5. sublata est potestas confessarijs absoluēdi aliquem fratrem nostrum á peccato superiori reseruato vt sciant confessarij nostri, qui sunt casus, quos sibi reseruare deinceps possunt. Et ne etiam superiores in re tanti momenti hallucinentur, placuit hic inserere Decretum Sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ octaui super casuum reseruatione ab omnibus Regularium superioribus obseruandum.

# DECRETVM

## Sanctissimi D. N. Clemētis Papæ. VIII super casuum reseruatione ab omnibus regularium superioribus obseruandum.

SANCTISSIMVS DOminus noster: qui iam pridē accuratè perpendit, & re ipsa comperit, quod reseruatio facultatis absoluēdi religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, non nullos inferiores, qui interdum superiori suo cōscientiæ maculas detegere formidant adducere posset in æternæ

damnatio

damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem, Ideo vt huic malo sanctitas sua opportunè prospiceret decreuit vt nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, ab eorum aliquot, pro vt subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerit.

§ Veneficia, incantationis, sortilegia.

§ Apostasia á religione, siue habito dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij seu Conuentus fiat egresio.

§ Nocturna, aut furtiua è Monasterio seu Conuentu egresio, etiam non animo apostatandi facta.

§ Proprietas contra votum paupertatis, quę sit peccatum mortale.

§ Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo

§ Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secutò.

§ Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

§ Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii, aut Connentus.

§ Lapsus carnis voluntarius, opere consumatus.

§ Occiso aut vulneratio, seu grauis percusio cuiuscumque personæ.

§ Maliciosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum á superioribus ad inferiores, & ab inferiobus ab superiores.

§ Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, et consensu.

§ Non liceat superioribus regularium cõfessiones subditorum audire, nisi quãdo peccatum aliquod reseruatum ad-

 miserint

miserint, subditi spõtè, et proprio motũ id ab ijs petierint.

Superiores in suis domibus deputẽt duos, tres, aut plures confessores pro subditorũ numero maiori, vel minori, ij qui sint docti, prudẽtes, ac charitate præditi, qui à nõ reseruatis eos absoluant, et quibus etiam reseruatorum absolutio cõmitratur, quãdo casus occurrerit, in quo eã debere committi, ipse in primis cõfessarius iudicauerit.

Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti caueant diligentissimè, ne de noticia, quam de aliorum peccatis in cõfessione habuerint ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis a confessarijs imponendas, quę subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atq; ita per quoscumq; Regulariũ superiores, quicũq; illi sint, obseruari mandamit. Non obstantibus cõstitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac cuiuscunq; Cõcilij etiã Generalis decretis, necnõ cõsuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut regulis in generalibus, seu Prouincialis capitulis editis, statutis et constitutionibus, etiã Apostolica auctoritate confirmatis, priuilegijs, indultis, & concessionibus quibuscunq;, quorũ tenores hic pro expressis haberi voluit, cęterisq; in contrarium facientibus quibuscunque.

*Post signũ auemaria nõ audiãt confessiones secularium.*

8. Nõ audiant sęculariũ maximè vero mulierũ cõfessiones post pulsationẽ salutationis Angelicę in vesperis et ante eam in mane, sed si necessitas ingruerit, ob penitẽtiũ multitudinẽ, accẽdatur lumen in eodẽ loco, sine quo, qui confessiones andierit, sit ab eo munere per quinquẽnium suspensus. Ex cap. Gen. Cre.

*Panitẽtiæ pecuniariæ nõ imponantur.*

9. Qui pœnitentias pecuniarias imponere ausos fuerit tanquam simoniacus rigidè puniatur, & perpetuo sit ab

ea functione suspensus.

10. Si quis mulieres, aut pauperes à cōfessionibus audire recusauerit, sit eo facto a tali munere suspēsus absq; vlla spe dispensationis.

*Pauperū confessiones audire nemo recuset.*

11. Ordinamus, vt in quolibet Conuentu, vbi degunt, sex sacerdotes ad minus, sit lector casuum conscientiæ, qui diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris, vel vbi in illis aliquod subortum fuerit impedimentum, in alijs diebus non impeditis hora certa, & loco determinato legat vernaculo sermone casus conscientiæ, & præcipuè tractatus de vsura, de Cambijs, de Censibus, de Contractibus, de Restitutione, de Voto, de Iuramento de Sacramētis, de Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, Simonia, et alijs huiusmodi, quæ frequentius euenire solent: cui lectioni omnes interesse debent sacerdotes, etiam confessiones audientes, Magistris, & præsentatis solis exceptis, quos etiam vt intersint hortamur. Qua lectione absoluta, fratres mutua collatione se se in huius modi casuum doctrina vtiliter exerceāt. Et si per duas vices, cessante legitimo impedimento, interesse recusauerint, si adhuc ad confessiones audiendas admissi non fuerint, non admittantur, nisi à Reuerēndo Prouinciali, & diffinitoribus in Capitulo Prouinciali tantum, et non extra, si fuerint diligenter examinati, & reperti idonei: si fuerint admissi, suspēsi sint ipso facto, & pro prima vice non admittantur, nisi in Capitulo Prouinciali, vt decretum est, pro secunda autem vice, nec ab illis possint admitti, inconsulto Generali Ordinis, neq; enim rē tāti momēti postponi volumus.

*In conuentibus habeatur lectio casuum cō scientiæ.*

*Nō admittantur ad ordinis officia qui non sit cō fessarius.*

12. Statuimus etiā vt nullus possit admitti ad quācūq; dignitatē, officiū, & gradum in Ordine, qui ad cōfessiones sæcularium non fuerit admissus vel noluerit admitti.

13. Ordinibus nō initientur, qui per quatuor annos fuerint in Religioni non insudauerint computato anno probationis, etiam si sint in legitima ætate constituti, æquū est enim, vt prius religiosi assuescant obedientiæ, & humili-

*Non ordinentur qui quatuor in Religione annos non compleuerunt.*

tati, ante quam ad sacros assumantur ordines, in quo, sine diffinitorum consensu, in capitulo Prouinciali Reuerendus Prouincialis non poterit dispensare.

*Seruata forma cōcilij Tridētini fratres ad sacros Ordines admittantur.*

14. Prouinciales non dabunt licentiam suscipiendi sacros ordines his, qui non sunt in ętate legitima constituti morum probitate ornati, & competēti dotrina instructi, et á patribus sacerdotibus Conuentus habeant literas testimoniales de vita, et moribus ipsorum ordinandorum, iuxta normam sancti Concilij Tridentini literas etiam testimoniales ætatis legitimę eorundem autenticas apud se productas retineāt, vt si opus fuerit de licentia data rationem reddere valeant: aliter facientes sint priuati sua functione. Ex cap. Ge. Cre.

*Prouinciales dona non accipiant pro Ordinū, vel cōfessionū licentia.*

15. Non valeant prouinciales accipere quæcūq; munuscula etiam à sponte dantibus pro licentijs vel sacrorū Ordinum, vel Confessionum, vel prędicationū, sub pœna Simoniacis debita. Ex cap. Gen. Cre.

# ¶ CAPVT NONUM. De studijs et Studentibus, & gradibus eorumdem.

ORDINAMVS vt deinceps in vnaquaq; Prouincia duo tātummodo sint collegia pro sacra Theologia docenda, extra quę, studentes Theologi manere non possint, videlicet.

In Prouincia Castellę Collegia erunt Salmanticę, & Compluti,

In Prouincia Cathalonię Collegium Sancti Angeli Barchinonæ, & Ilerdę, et propter necessitatem, et distātiam

tiam

tiam loci cōcedimus vt ſit etiam collegium in Conuētu Maioricarum.

In Prouincia Aragoniæ Collegium Oſcæ, alterum vero ſtatuetur in Capitulo Prouinciæ mox celebrando.

In Prouincia Luſitaniæ Collegia erunt Conimbricæ et Eboræ,

In Prouincia Bethicæ Collegia erunt Offunę, et Cordubæ.

In his autem omnibus Collegijs ſtudentes viuere debent iuxta ſtatuta, & leges ſtudentibus præſcriptas in Collegijs noſtris reformatis, videlicet Conimbricę, Salmanticæ, Barchinonæ, Offunæ. Sed quoniā in noſtra Generali viſitatione experti fuimus non nullos cōuentus iſtorum Collegiorū ſufficientes redditus non habere pro aliendi commodè tot ſtudētibus: vt ergo ſtudentes in neceſſarijs nō deſtituātur, et ipſi leges collegiorum ad unguem obſeruare compellantur, Præcipimus, et Ordinamus vt expenſæ pro iſtis ſtudentibus Theologis á tota Prouincia perſoluantur iuxta taxam faciendam quotannis á Reuerendo Prouinciali, tanquam in hoc Commiſſario noſtro, Conuentuum poſsibilitate, & temporum varietate obſeruata.

2. Statuimus etiam vt pro artibus, & Philoſophia tātum ſint duo Conuentus á Capitulo Prouinciali ſemper eligendi: extra quos nec vnus ſtudēs artium permanere poſsit: ſed quotquot artes et Pphiloſophiam ſunt audituri ad hos Conuentus mittantur. Qui ſtudentes ad expēſas Cōuentuum, in quibus Artes & Philoſophiam addiſcunt, alendi ſunt.

3. Studentes, non niſi á Prouinciali, & diffinitoribus in Capitulo Prouinciali, præuio rigurofo examine poterunt deputari, & ad Artium ſeu Theologiæ collegia mittì, totum vero, quod non ſeruato hoc decreto fuerit per quemcunq; inferiorem factum, irritum ſit, & nullum. *Ad ſtudia non admittantur niſi prævio rigurofo examine.*

Cæterum,

Cæterum,ne dignis bonarum literarum additus præcludatur Gen̄ralis Ordinis cognita alicuius religiosi per præuium examen sufficientia,ad studiū admittere,&ad collegia destinare per litteras suas patentes valebit. At non facto præuio examine, nec cognita sufficientia, neq; eidē Generali liberum sit huiusmodi licentias concedere, nō obstante testimonio,per quemcunq; de cuius vis sufficiētia eidem Ordinis Patri facto.

*Sine generalis licentia nullus à Collegio expellatur*

4. Vbi quis seruatis seruandis vt supra ad studium deputatus,& in aliquo Collegio Artium, vel Theologiæ collocatus fuerit,fas non sit Prouinciali quacunq; de causa aliquem ex collegialibus studio priuare,vel extra Collegium mittere,nisi mutaretur de Collegio in Collegium iusta de causa,si vero aliqua subesset causa,per quā aliquis esset studio,& Collegio priuandus,id non fiat inconsulto Generali,ad quem transmittantur informationes, vt rectum iudicium ferre possit,qui secus fecerit, sit voce actiua, et passiua priuatus.

*Superiores professis de lectore prouidere teneantur*

5. Et ne ingenia torpescant,præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ,& sub pæna depositionis ab officio tā Prouinciali,quam Priori locali,vt professis prouideant de lectore,& Magistro etiam artiū,& Theologiæ,si opus fuerit.Nihil enim obest reformationi,scientiarum cognitio, imo eam fouet & adiuuat,vbi vero quis fuerit benè in artibus,vel Theologia instructus,etiam secundo post professionem emissam anno,potérit ad Collegia vniuersalia transmitti.

*Studentes domo non exeant nisi semel ī mē se et ob vrgētem causam.*

6. Studentibus non liceat septa monasterij exire nisi audienda ū lectionum causa in vniuersitate,& tunc omnes simul processionaliter,& bini ordine debito incedāt nec quis quam ex illis sub pæna vnius disciplinæ pro prima,& secunda vicé,& pro tertia expulsionis à Collegio tam eundo,quam redeundo audeat alió diuertere, sed recto tramite domo vniuersitatem,et ex vniuersitate do

mum

mum petat. Poterit tamen Prior seu Rector Collegij habito etiam ad hoc beneplacito regentis Collegij aliqua die, quā á studijs vacabunt, semel tantum in mense veniā exeūndi recreationis causa impartiri, ita tamen, vt nullus studēs, cuiuscunq; domum ingrediatur, licet stricto cognationis vinculo sibi deuincti (excepto euidentis necessitatis casu, obtenta venia vt supra) Prior vero, qui se indulgentiorem præstiterit, ab officio absoluatur, & studēs extra Collegium eiciatur.

7. Quapropter ne vagandi occasio studentibus detur et ne ipsi à quotidianis exercitationibus magno studiorum suorum periculo diuertantur, Prior sub eadem pœna extra propriam Ecclesiam ad missam celebrandā mittere illos non præsumat, & si tentare auderet, Regens impediat, & collegiales non obediant, statimq; Prouincialem admoneant. *Prior studentes foris ad missam celebrandam nō mittat.*

8. Tempore etiam vacationum sub eadem pęna Prior non audeat, etiam vltro se offerentes mittere pro eleemosinis petendis per vicos, et oppida etiam circunuicina sed volumus studentes per totum annum in Collegijs commorari, & die noctuq; litteris operam dare. *Studentes non mitātur pro eleemosinis petendis.*

9. Ne tamen studentes in suis necessitatibus destituantur Reuerendus Prior curabit, vt expenditor, vel alter expēdat, & emat, quæ necessaria erūt ipsis Collegialibus. *Necessaria studētibus non denegentur.*

10. Pareant studentes in his quæ ad studium pertinēt: suis regentibus, renuentes vero pro prima vice et secunda arbitrio Regentis, & de consensu Prioris puniātur pro tertia á Collegio expellantur. *Studentes obedire tenentur Regentibus.*

11. Et vt in studia sint promptiores, & expeditiores, Prior nec intus, nec foris quempiam studētem, lectionū, vel disputationum tempore occupare poterit, sub pænis descriptis. *Prior tempore lectionū nō occupet studētes.*

12. Regentes atāmen in legendis lectionibus animaduertāt ne sint Ecclesię impedimento. & studētes singulis *Ad quid teneātur studentes.*

 diebus

diebus ferialibus missam celebrēt, missæ quoq; maiori et vesperis intersint. Diebus vero sabbatis etiā cōpletorio, festis, autē singulis horis reliqua illis remittimus, vt arctius in studia incumbant. Cæterum per hoc decretum non intendimus derogare vetustæ consuetudini, & peculiaribus Collegiorum decretis. Quia studētes in Collegijs, et solemnibus vniuersitatibus, vbi studētes foras exeūt pro audiendis lectionibus, officium recitent iuxta cōsuetudinem Collegij, et temporis opportunitatem

*Ad quid teneantur studentes.*

13. Præcipimus insuper cuiuscunq; Collegij artium, et Theologię studentibus, ne transcribant sermones seu vernaculo, seu latino sermone conscriptos, donec tres annos in Theologia compleuerint: & tunc etiam scitu, et beneplacito sui regentis. Neq; admittantur ad sęcularium audiendas confessiones etiam si á Reuerēdissimo Ordinario licētiam obtinuerint: neq, conciones ad populum, nisi tribus Theologię annis transactis, aut coram fratribus exercitij causa. Et qui hisce decretis reluctari ausus fuerit a Collegio expellatur, nec sine Generalis bene placito reintegretur.

*Numerus Magistrorum in singulis prouincijs hispaniæ est duodenarius.*

14. Numerus Magistrorum pręsentatorum, & aliorū graduatorum ita in Capitulo Generali nuperrimè celebrato est pręscriptus in singulis Prouincijs Hispaniarum, et Lusitanię, vt si pater Ordinis aliquam mutationem facere tentaret, eius prouisio penitus inualida esset, nec vlla ratione in prouincijs admittenda. Numerus autē Magistrorum in singulis prouincijs Hispanię, est duodenarius, qui numerus nullo pacto debet augeri, aut mutari, sed semper inuiolabiliter debet permanere.

*Bachalaurei et præsentati etiā sint duodecim.*

15. Bachalaurei, item et pręsentati ad eundem numerum duodenarium sunt redacti in eisdem Prouincijs Hispaniarum.

In Prouincia vero Lusitanię octo dumtaxat Magistri, & sex Pręsentati sunt constituti, quem numerū nullomodo

licebit

licebit excedere, Cęterum patres honoris et iubilati cũ per nos, vt supra fuerint extincti,& abrogati,nulla illorũ in dictis prouincijs,& tota religione habenda erit ratio.

16. Atne indistinctè quilibet promotionem procuret ad dictos gradus Theologicos, censuerunt patres diffinitores prædicti capituli Generalis neminē posse á Patre Ordinis ad præfatos gradus Theologicos assumi, nisi primo fuerit pręsentatus à Capitulo Prouinciali, in quo et non extra, Prouincialis,& diffinitores cõficiant literas promotionis cum subcriptionibus singulorum,& sigillo Prouinciæ, et quod deinceps nullus poterit præsentari á Capitulo Prouinciali ad dictos gradus Theologicos, qui non legerit, & disputauerit, et seruarit omnia statuta prouinciæ pro legentibus,& graduandis ordinata, nec nõ habeat ad hoc definitam ætatem. Inter cętera vero, quæ in eodem Capitulo Generali pro suscipiendo gradu Bachalaureatus,& præsentaturę sunt ordinata, vnum illud est, nempé quod legerint Philosophiam, postmodũ per quatuor annos Theologiã scholasticã in Collegijs Prouinciæ, vel in vniuersitate continué legerint, & triginta duorum annorum ætatem attigerint, Quę omnia vti ritè rectè,& maturo Consilio ordinata, approbámus, et confirmamus. *Quid pro gradibus Magisterij et præsentaturæ faciendum.*

17. Cæterum cum unio, seu potius cõfusio Bacchalaureorum,& pręsentatorum facta in dicto Capitulo Generali, vt Bacchalaurei post assumptum gradum Bacchalaureatus, & vocentur, et sint Præsentati, sit contra constitutiones antiquas, contra dispositionem sacrorum Canonum: nec non contra vniuersalem consuetudinem omnium vniuersitatum totius Christianitatis, nec non contra ritum,& morem sedis Apostolicæ, que quandoq; literas dirigit presentato sacrorũ Canonũ, aut sacræ Theologięquod tamen certũ est, nõ debere intelligi de Bacchalaureo formato, sed de uero presentato; in vniuersitate *Bachalaurei non vocētur præsentati.*

Appoſtolica nobis conceſſa dictum ſtatutum corrigẽtes conſtituimus,& ordinamus prædictos gradus Bacchalaurei,& præſentati omnino diſtinctos eſſe debere,provt præſenti decreto diſtingnimus, & diſtinctos declaramus: & præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ,& ſub pæna priuationis vocis,& loci,vt Bacchalaureatus gradu decorati Bacchalaurei vocentur et nullo modo præſentati.

*Qualiter ſit facięda præſentatio progra duandis.* 17. Verum quia per experientiam cognouimus potius affectu humano, quã meritorum intuitu præſentationem graduatorum quandoq; à Prouincijs factam eſſe Generali, vt multi docti,& pij viri repulſam paſsi ſint, indigni vero,& literarum ignari non nunquam promoti fuerint, id circo vt quantum in nobis eſt hiſce incommodis remedium afferamus,ſtatuimus præſentationem Prouinciarũ pro graduandis Generali faciendam nullam eſſe niſi ſub hiſce conditionibus:vt qui ad Bacchalaureatus gradũ promoueri debet primo perfecerit integræ curſum totius Philoſophiæ,& totius Theologiæ in vno ex collegijs noſtris ritè inſtitutis, vel in aliqua vniuerſitate approbata, de conſenſu ſuperiorum. Secundo legerit integrè in vno eorundem Collegiorum totam Philoſophiam deputatus tamen á Prouincia. Tertio defenderit Concluſiones,quater in vniuerſitate approbata, vel in Capitulo Prouinciali, habito beneplacito Prouinciæ, & diffinitorum in Capitulo Prouinciali. Quarto quod ætatis ſuæ annum vigeſsimum octauum attingerit, et decimum poſt profeſsionem compleuerit in Ordine. Quinto in litteris ſuæ præſentationis, quæ,vt ſupra á Prouincia fieri debent Generali, pro gradus conceſsione fiat expreſſa mentio omnium iſtarum conditionum, cum omnibus circunſtantijs locorum, in quibus curſum legerit,& audierit,ac concluſiones defenderit, temporum quando incæpit curſum tùm audire, tùm legere, & quando finiuit eoſdem curſus, ac dictas concluſiones ſuſtinuit, nec

non

non personarum, tam præceptorum, á quibus audiuit, & sub quorum tutela conclusiones defendit, quam supe riorum, quorum authoritate hoscé actus peregit. Præsentaturę gradus concedi non poterit nisi primo graduādus cursum Theologiæ per quatuor integros annos deputatus á Prouintia legerit. Secundo ætatis suæ annum, 32. attigerit. Tertio Bacchalaureatus gradum ritè vt supra obtinuerit. Quarto à prouincia præsentationem cum supra expressis conditionibus, & circunstantijs obtinuerit. Ad magisterij gradus quis non assumetur, nisi ritè susceptis vt supra gradibus Bacchalaureatus, & præsentaturæ, per tres annos Religioni inseruierit vel cōcionando, vel certe casus conscientiæ legendo per deputationem in Capitulo Prouinciali faciendam, ac demum præsentatio per Prouinciam fiat cum expressa mentione omnium, quæ supra sunt posita. Quæ omnes conditiones ac circunstantiæ in literis patentibus, quę pro graduum concessione à Generali concedentur, distinctè enarrabuntur, sine quarum expræsione literæ concessæ vti subreptitiæ censeantur: donec Generalis admonitus quid sit diffiniendum statuat. Cæterum quoniam quandoq; non sup petunt Collegia in quibus graduandi cursus Philosophiæ, & Theologiæ perficere valeant, ne his aditus ad suarum virtutum præmium, videatur præclusus, statuimus, quod si quis perfecto integro cursu Philosophiæ, & Theologiæ vt supra per decem annos in aliqua vniuersitate approbata, in qua religio nostra seu Conuentum, seu Collegium habeat, publicé artes, vel Theologiam legerit, & viginti annos in Ordine compleuerit, habita facultate á Generali Ordinis susceptis Doctoratus insignibus in approbata vniuersitate eiusdem Prouincię, gaudeat omnibus priuilegijs quibus reliqui Magistri, & Doctores frui et potiri solent in Ordine.

*Conditiones Præsentaturū*

*Pro Magisterio quid sit agendū*

*Antiquior in ordine præferatur in gradu.*

18, Sed cum vnus tantum vacat locus ex graduatis, et plures perfecerint supradicta omnia, ne alicui fiat iniuria, præferatur qui primó in Ordine professionem emisit cæteris paribus. Quod si ulla suboriretur difficultas, ad Patrem Ordinis remittatur.

*Magistri extra numerum*

19. At vero quoniã sunt aliqui qui prædictũ numerũ Magistrorum prossunt excedere, qui ex commissione Reuerendissimi Generalis prædecessoris nostri, vel etiam ex nostra authoritate hactenus concessa, acceperunt lauream Doctoratus in aliqua vniuersitate approbata, hi quidem ex benignitate connumerantur modo inter Doctores, sed semper intelliguntur esse extra numerum duodecim Magistrorum, quamuis potiri debent priuilegijs, et prærogatiuis cæterorum Magistrorum. Ex cap, Gene. Cre.

*Magistri qui legerunt sunt semper ex numero duodenario.*

20. Insuper declaramus quod prędictus duodenarius numerus solum compleri debet ex his, qui prædictę prouinciæ statuta legendo seruauerunt: Et hi quotiescunq; ad prędicti Magisterij gradum assumentur, semper debẽt præcedere cęteros Magistros, qui ex benignitate, & non seruatis statutis, gradus assumpserunt in vniuersitate approbata. Quare præfatus numerus duodenarius debet impleri ex his qui ad gradum prędictum de rigore et iustitia fuerũt assumpti seruatis statutis, prædictæ prouincię Quod quidem intelligendum esse volumus, non de Magistris, qui iam fuerunt vsq; ad Capitulum Generale Cremonense inclusiuè in Prouincia admissi: sed de alijs, qui deinceps post Capitulum Generale celebratum ad prædictum gradum assummentur, nam prędicti Magistri erunt etiam de numero prędicto duodenario. Ex capit. Gẽn. Cre.

*Lectores quomodo creandi.*

21. Lectura vero tam Artium, quam Theologiæ nemini deinceps cõcedatur ad libitum Prouincialis, vel Capituli Prouincialis, sed facto concursu, et rigurofo periculo

culo eorum, qui cupiunt legere prędictas facultates, nimirum vt legant vnam lectionem in punctis viginti quatuor horarũ spatio elaboratam, et absoluta lectione, respondeant ad argumenta, et obiectiones aliorum oppositorum. Postea vero Reuerendus Prouincialis cum quatuor Magistris, vel pręsentatis, qui in Capitulo Prouinciali ad hoc fuerint deputati, qui si fieri potest sint actu legẽtes, vel saltem legerint illam facultatem, per vota secreta iuxta Deum, et conscientiam suam peritiorem, & magis idoneum ad legendum approbabunt. Ex cap. Gen. Cre.

22. Sed quoniam Bacchalaurei, & Magistri artium, & Philosophiæ nullum obtinent locum in Ordine nostro poterit Reuerendus Prouincialis, facultatem cõcedere alicui, qui propter occasionem legendi, vel disputandi in vniuersitatibus, prædictis gradibus debeat insigniri, non tamen propter illos aliquẽ locum superiorem á sua professione obtinebunt in Cõuentibus Prouinciæ. Sed neq; permittimus et Bacchalaureos, vel Magistros appellari. Ex cap. Gen. Crem. *Bacchalaurei locũ sua professionis obtineant.*

23. At proinde minime aufertur á patre Ordinis facultas, qui in aliquibus, insignibus et probis viris potestatem facere valeat suscipiendi omnes gradus supradictos philosophię, & Theologię in vniuersitate approbata, lecturam aliquam acquirendi gratia, ita tamen quod ob hoc nullo gaudeant priuilegio in Prouincia, nisi seruatis his, quæ supra sunt ordinata. *Generalis potest concedere facultatẽ ad gradus suscipiendos.*

# ¶ CAPVT DECIMUM. De electionibus, et regimine Prouinciarum.

*Priores eli gantur in Capitulo Prouinciali.*

PRIORVM ELECTIONES deinceps non fiant nisi á Capitulo Prouintiali, ita enim existimamus frattres nostros maiori cum quiete domino seruire, et á multis molestijs, & iniurijs liberari, quibus, et verbo, & facto aliqui Priores indiscreti afficere solent eos, quos in in prædicta electione sibi suffragia nō dedisse, vel leuiter suscipiantur, vt q; etiam omnis subornationis occasio tollatur, & tumultus, et factiones, & fraudes, & alia quæ in eiusmodi electionibus solent euenire plerumq;, quæmaximam pariunt perturbationem, penitus extinguantur, hac tamen cōditione, vt diffinitores prædicti Capituli ad officium Prioratus eo in capitulo assumi non possint.

*Vacante Prioratu quid agendum.*

2. Quod si aliquo casu Prioratus officium vacare contingeret in aliquo cōuentu, Prouincialis vna cum socio, et diffinitoribus eligāt nouum Priorē, & si facienda esset electio pro aliquo Conuēt u insigniori Prouinciæ, poterit eligi, qui sit Prior in alio Conuentu minus insigni, si eis ita expedire videbitur. Animaduertant tamen ne in huiusmodi electionbius tota euoluatur Prouincia. Numquam tamen in Priorem alicuius Conuentus eligatur in Capitulo Proninciali, neq; extra Capitulū, qui ob aliquod delictum ab eodem offitio prioratus fuerit depositus nisi transactis sex annis ab eius depositione. Quod si aliquis spontè offitium renunciauerit, priuatus remaneat tribus annis, si suæ renunciationis legitimas caussas non assignauerit, quas esse legitimas et idoneas Prouincialis cum socio, & prædictis diffinitoribus debent iudicare,

*Prouintiales cū duo*

3. Si ante sex menses celebrationis Capituli Prouinicialis aliquod Prioratus Officium vacauarit, poterit, Reuerendi

uerēdus Prouincialis cum duobus diffinitoribus nominare illius Conuentus Vicarium, qui hoc nomine gaudeat, et non alio, cum vero ad Capitulum Prouinciale talis Vicarius iturus sit, deferat secum socium secundum constitutiones rité & canonice electum. *b us diffinitoribus possit nominare vicarium Conuentus.*

4. Vbi autem quis Prioratus officio in vno triennio functus fuerit, non reeligatur nec in eodem, nec in altero Conuentu ad idem Prioratus offitium, nisi transacto altero triennio, poterit tamen, ad quæ uis alia officia, & dignitates etiam assummi immediatè. *Prior non reeligatur nisi transacto triēnio*

5. Prouincialis vero qui in eodem Capitulo Prouincia li, suo offitio functus fuerit, poterit eligi in Priorem alicu ius Conuentus, nolumus tamen ipsum cogi posse, si in primo triennio post depositionem sui officij vellet quiescere, & Deo liberius inseruire. *Prouincialis potest eligi in priorem.*

6. Quod si euenerit officium Prouincialatus vacare, siue per mortem, resignationem, assumptionem, seu alió quouis modo, tunc secundū formā, in cōstitutionibus expressam ad noui Prouincialis electionē procedatur. quæ electio si ante festum natalis Domini fuerit facienda, officium talis Prouincialis duret à die suæ electionis vsq; ad Dominicam tertiam post Pascha sequētis anni, & amplius duobus annis. Si autem prædicta electio post festum Natalis Domini celebretur offitium Prouincialis duret à die suæ electionis vsq; ad Dominicā tertiam post pascha eius dē anni, et amplius tribus annis. Quod ideo factum est, vt semper Prouinciale Capitulum Dominica tertia post pascha celebretur. *Vacāte officio Prouincialis quid agendum.*

7. Si euenerit aliquem Prouincialem esse eligendum ante complementum triennij præcedentis (ut dictum est) statuimus quod in eodem Capitulo, quo talis Prouincialis eligitur, etiam Priores eligātur, si suorū offitiorū vnus annus, & dimidius fuerit transactus, sin autem, minimè eligantur, Sed cum suis relinquantur officijs vsq; ad alte- *Priores de nouo eligātur cū prouinciali, si annus et dimidius suorū officiorū transactus fuerit.*

 rius

rius Prouincialis electionem, nisi aliàs, propter aliquas causas à suis officijs essent absoluendi.

*Generalis potest differre capitulum prouinciale vltra triennium.*

8. Si aliqua iusta de causa censeret Pater Ordinis Capitulum Prouinciale vltra triennium vel propter celebrationem Capituli Generalis, vel propter proximam futuram visitationem eiusdem Generalis, vel alicuius eius vicarij, & Cōmissarij, aut propter aliquod aliud iustum impedimentum ipsi Generali notum, differendum esse: etiā Priores maneant in suis offitijs, nisi aliter statuat Generalis, vel Prouincialis, & diffinitores iudicarent aliquem ab officio, ob aliquod delictum absoluendum.

*Qui officiales eligē di in Capitulo Prouinciali.*

9. In Capitulo Prouinciali eligātur etiam subpriores, Magistri nouitiorum, et professorum, lectores artium, & Theologiæ, lectores casuum conscientię, etiam Magistri ceremoniarum singulorum Conuentuum, ac tandē examinatores confessariorum, de quibus supra mentio facta est: Cæteri ministri á toto gremio Conuentuum minorū, vel ab ipso Priore, Subpriore, Clauarijs, & magistris in maioribus Conuentibus eligantur, vt supra fuit expressum. Confessarij etiam, et Procuratores monialium in Capitulo Prouinciali similiter eligantur.

*Quando Capitulū prouinciale potest differri in sequentem annum.*

10. Quando capitulū Generale erit celebrandum, ordinamus quod si contingat Prouincialem illo anno Domīnica tertia post pascha officium suum terminare, ad tollē das expensas, et alia multa incommoda, quæ ex celebratione Capituli Prouincialis contingere possent, prędictū Capitulum Prouinciale in annum sequentem prorogetur, eadem q; Dominica tertia celebretur; in quo officiū prædictorum Prouincialium terminabitur iuxta dispositionem Ordinis nostri. Ex cap. Gen. Cre.

11, In quolibet Capitulo Prouinciali semper eligātur duo socij pro Capitulo Generali futuro: & custos prouinciæ, si forsan in illo triennio contingeret celebrari. Quod si nō celebretur, rursum in Capitulo Prouinciali sequenti eligan

ciæ,si forsan in illo triennio cõtingerit celebrari. Quod si nõ celebretur, rursum in Capitulo Prouinciali sequenti eligantur prædicti duo socij, & custos Prouinciæ, nisi fortè ipsa prouincia vellet electos in præcedenti Capitulo Prouinciali approbare. Quod vel maxime fieri debet ad euitandas expensas, quæ fieri solent, quando congregatur prouincia solum pro electione prædictorum facienda. Quod si contingeret aliquem ex prædictis socijs mori, vel canonicè impediri, quo minus accedere posit ad Capitulum Generale, ille assumatur in socium loco illius impediti, qui in prædicta electione sociorum plures voces habuisset, si vero custos Prouinciæ moriatur, eius locum habebat Vicarius per Reuerendum Prouincialem nominatus iuxta constitutiones nostras. Si tamen contingeret Prouincialem mori, vel priuari, vel assumi in prædicto triennio (licet prouinciale capitulum pro electione futuri Prouincialis nõ completo triennio celebretur) nõ fiant electiones sociorum, et Vicarij, sed factæ in præcedenti Capitulo, debent firmiter permanere. Ex cap. Gen. Cre. *Duo socij et custos prouinciæ in cap. Prouĩciali eligantur.*

12. Vbi in Capitulo Prouinciali omnia fuerint disposita, quæ in illo erunt statuenda, ante quam publicentur acta Capituli, fiat inquisitio ab omnibus gremialibus eorum patrum, ex quibus vnus eligendus est in prouincialem in Capitulo sequenti, ita vt eorum quilibet nominet Reuerẽdo Prouintiali & diffinitoribus sex patres ex tota Prouincia, qualitatibus in nostris constitutionibus contentis exornatos. Eorum autem omnium nomina, in papyro descripta traddãtur Prouinciali electo, & diffinitoribus, qui suscepto iuramento sibi à Prouinciali iam functo de fidelitate, et secreto seruando, assument sex, qui a pluribus fuerint nominati, & tunc secretó nomina eorum sex, in papyro mox scripta, et sigillo Prouinciæ signata destinabuntur Generali Ordinis, vt ex more, vel ex illis admat, vel alios addat, sicut ipsi videbitur expedire. poterunt autẽ confici plura exẽplaria dictatũ literarũ ad hoc vt si in itinere vnæ *Quomodo naminãdi a prouincia qui futuri sunt prouinciales.*



 essent

essent interceptæ, alteræ perueniant, imo in vltimo anno sui officij Prouincialis duplicatū aliud dictarū literarū trāsmittat, eum dē certiorē faciens, an omnes illi inter viuos degāt, & an vllus eorum in aliquod legitimū impedimentū, in tempore illo intermedio incurrerit. Quinimo volumus vt Reuerendus Prouincialis tunc temporis in suis literis familiaribus ad Generalem mittat nomina, cognomina, ætatemq; singulorum omnium Magistrorum Prouinciæ, cū expressione impedimētorū, quæ vnus quisq; habebit, nec nō per quot vices qui vis fūctus fuerit officio Prouincialis, vt ex qualitatibus eorū facilius cognoscat Generalis, quis debeat præferri. Vbi autē deessent Magistri ad id onus idonei eodē ordine proponat præsentatos.

*Diffinitores perseuerent in officio per triennium*

13. Et quoniam ad leuanda Religionis grauamina, crebrasq; concursationes euitandas, nostræ constitutiones statuunt Capitulum intermedium minime celebrandum esse, vt multis rebus quibus secundum leges nostras solum Prouincialis prouidere non potest remedium adhibeatur. Ordinamus diffinitores in officio permanere debere à Capitulo ad capitulum, qui semper erunt Prouincialis coadiutores, sine quorum consilio Reuerēdus Prouincialis nō poterit aliquem ad triremes, vel carceres perpetuos, vel scapulare linguarum, & aliam grauiorem pænam condemnare, neq; Priores deponere.

*Diffinitores non se in prouincialis officiū intromittant.*

14. Ideo vbi quis ad similē pœnā ob aliquod enorme delictū erit cōdemnādus, liceat quidē Reuerēdo Prouinciali processum formare, & omnia alia iuris remedia adhibere vsq; ad sententiā exclusiue, at pro ferēda sentētia vocatis saltē duobus diffinitoribus, & si sine dispēdio magno potest, etiā omnibus, vnā cū socio suo cōsulant inuicē qua pena sit ille plectēdus, & prout cōclusum fuerit, exequatur. Omnes etiā electiones, quę in diffinitorio capituli Prouincialis fieri cōsueuerūt, & iuxta hasce constitutiones nostras fieri debēt, si in illo tēporis interstitio faciendæ aliquæ erūt, nō sine sui socij, & duorum saltē diffinitorum vt supra.

pra est definitum, cōsilio faciat, quod etiam obseruabit in quibuscunq; actionibus quæ in Capitulo Prouinciali ter minari solēt (præsentationibus graduādorū exceptus) quas in solo Capitulo Prouinciali fieri volumus: In reliquis ve ro ad officium Prouintialis spectantibus, nullo modo se intromittant diffinitores sub pæna vsurpantibus officia maiorum debita.

15. Diffinitores autem deinceps, tantum modo debēt eligi omnes Magistri, per Prouinciam admissi, & omnes Præsentati qui officium Prioratus exercuerint: & de jure per Prouinciam admissi sunt, propter officij dignitatem. Hi diffinitores, in illo Capitulo præcedent omnes, & sint immediati post Prouincialem, & cum eorum authoritas electis noui Diffinitoribus in subsequenti Capitulo consu metur, si ipsi, aliás vocem non habebunt, in nulla alia ele ctione suffragiū ferent, præterquā in Diffinitorū electione et locū ex Professione, vel gradu sibi debitū retinebunt. *Qui sūt eligendi in diffinitores.*

16. Fas sit Reuerendis diffinitoribus secūdum antiqui tatē gradus & professionis, Conuentum Prouinciæ eligere, in quo viuant, dummodo ad hoc legitimum cesset impedimentum, sed in eodem Conuentu non plures duobus diffinitoribus commorentur, in quo Conuentu locum, & vocem habebunt post Priorem, licet ibidem Magistri, & graduati ipsis antiquiores habitarent. *Duo tantū diffinito-res possunt in eodem Conuentu cōmerari.*

17. Si aliquis diffinitor culpam committeret, propter quam vel ab officio vel voce, & loco vel gradu esset absol uendus, Prior eius Conuentus in quo talis diffinitor commoratur, solum habeat facere informationē, & iuxta qua litatem, & quantitatem delictū, si ita opus fuerit, etiam in custodia, vel in camera, vel in arctiori carcere recludere, statimq; Prouincialem admoneat, qui de iustitia prouidebit adhibito Consilio vt supra est determinatum. in reliquis omnibus Reuerendi diffinitores seruent omnia, quæ in constitutionibus præcipiuntur, nec vllam sibi aliam immunitatem, aut priuilegium arrogent *Quid agendū pro priuando diffinitore ab offitio.*

*Qui nostri patres nominādi sūt.*

18\. Ordinamus quod tam Reuerendus pater Prouincialis, quam quilibet alius diffinitor ab omnibus fratribus Prouinciæ, noster pater nuncupetur, taliter, noster pater Prouincialis, noster pater diffinitor. Et eodem modo appelletur quilibet alius Prior á fratribus sui Conuentus, & eidem dicimus de Prouinciali, qui iam suo offitio functus fuerit. Cui etiam socius asignetur, petatq; veniam á Priore per se cum á domo sit egressurus, eligatq; conuētum ad habitandum quem voluerit.

*Quibus pœnis subiaceat Prouincialis qui visitationē impedierit.*

19\. Et quoniam Reuerendi Prouinciales, cum se á nemine iudicari debere conspiciant, quandoq; vel in munere suo obeundo segniores: vel in sibi subditos sæniores, quam parest, efficiuntur, nulla ratione habita regulæ, ac cōstitutionum leges nostras postponāt, et obliuioni traddant, vt ad functionem suam viriliter, & diligēter obeundam accēdant, & ab iniustitijs, & oppressionibus coerceantur, ac in dies vti vigiles pastores, & iusti iudices in æquitate & solertia retineantur, statuimus visitatorem, & commissarium tertio functionis cuiuslibet Prouincialis anno á Generali destinandum esse (nisi aliter iudicauerit expedire) qui totam percurrat Prouinciam cū vno tantum socio ad nutum suum eligendo, per trium mensium spatium, statim post festum Epiphaniæ, et ante Capitulum Prouinciale, Prius tamen literas suæ cōmissionis Reuerēdo Prouinciali ostēdat, nec enim æquū est, vt quis in ipsius Prouincia, ipso inscio vllā exerceat iurisdictionē et munus, visis tamē literis statim Reuerendus Prouincialis obediet, nec sub quouis prætextu se opponere audeat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, priuationis quoq; dignitatis, loci, & vocis, & gradus in perpetuum.

*Visitator per Generalem eligetur; et quod sit eius officiū.*

20\. Is non presentetur á prouincia, sed arbitrio Generalis, vel ex eadem Prouincia, vel ex altera eligetur, certū est enim quod semper Generali præsentabitur quem maluerit Prouincialis, cui potius, quā iustitiæ inseruiet; eius autem

autem offitium erit in singulis Prouinciæ cōuētibus, culpas Prouincialis inquirere, maxime si neglexerit pœnas exigere à trangressoribus regulæ, et constitutionum, et si in suis visitationibus id præstiterit, quod in hisce nostris decretis illi efficiendum præcipitur, nec id à solis Regularibus agnoscere poterit, sed etiam in librorum examine vnde facili negotio perspici valebit, an in regimine Conuētuum Prioribus iudulserit quippiam, quod regulæ cōstitutionibus, & decretis aduersetur, Sed non audeat huiusmodi commissarius se intromittere in iurisdictione ordinaria Reuerendi Prouincialis, cuius officium non intelligitur terminatum, neq; suspensum, nisi in literis commissionis expressa fieret mentio talis suspēsionis: vel maior facultas quam simplicis visitationis eidē commissario tribueretur, quod ex literis sibi concessis poterit cognosci. Nullas tamen à Prouinciali poterit cōmissarius et visitator pœnas exigere. Sed vbi congregatum fuerit Capitulum Prouinciale, factaq; noui præsulis electione Reuerendo Præsidēti Capituli, & Diffinitoribus culpas omnes examinādas assignabit, qui de iustitia sine vlla personæ acceptatione prouidebunt.



21. Visitatori solæ simplicesq; expensæ tam itinerariæ, quā cibariæ soluantur, & si erit ex aliena Prouincia (quod non nisi raro, & ex magna causa fiet) á tota prouincia tribuetur tantum cappa alba, & tunica russi coloris cum scapulari et capucio. Id quod nolumus traddi si ex eadē erit Prouincia. *Visitatores: quæ expēsæ dandæ.*

22. Ne autem dum prouinciales volumus in suo officio retinere, eos manifesto infamiæ discrimini subijciamus, cum facile sit in suam personam conspirari, ab his vel quos corripuisset, vel in eum male affecti essent. Ordinamus, vt non recipiantur accusationes à visitatore nostro contra Reuerendum Prouincialem, nisi accusatores se obligauerint ad pœna Talionis. Et si Prouincialis accu- *Accusatores contra Prouinciallem se obligent ad pænam talionis.*

fatus voluerit se defendere in Capitulo Prouinciali, nomina testium illi manifestentur, & nisi fuerit sponté confessus, vel legitimé conuictus, nulla ei inferatur molestia.

*Præsidens Capituli prouintialis non erit prouincialis.*

24. Et vt liberius culpæ Prouincialis valeant examinari, & regulares grauamina eidem obijcere, ac sine vllo timore pœna possint exigi, Ordinamus vt in Capitulo in quo, culpæ Prouincialis erunt examinandæ, semper præses Capituli á Generali nominetur: quód si tempore debito ob itinerum difficultatem huiusmodi nomiuatio nõ venerit. Prouincialis eo fungatur munere, vsq; ad electionem noui Prouincialis, & Prouincialis præteritus sit consiliarius in diffinitorio.

# ¶CAPVT VN

## decimum de officio Prouincialis.

*Officiũ prouincialis in cõstitutionibus soreth continetur.*

QVID PRO MVNERE suo diligenter obeundo tam in visitatione: quam extra eam Reuerendi Prouinciales teneãtur, efficere, satis quidem in cõstitutionibus Reuerẽdissimi Soreth cap. 23. & 25. videtur expressũ, attamen ad eorum, quæ dicta sunt in dictis cõstitutionibus renouationem, vel supplementum nobis visum est nõ supernacaneum, proponere, et statuere, quæ sequuntur. Ex cap. Geñ. Cre,

*Quod sit officiũ prouincialis et eius authoritas,*

2. Curent omnino vt fratres nostri cuiuscũq; gradus & conditionis existant, extra religionem absq, suorum supetiorum licentia, vel sedis Apostolicæ commorãtes, etiam si alicuius prælati, Principis Ecclesiæ, aut communitatis

tatus

tatis obsequijs essent mancipati, ad claustra reuocentur, quam primum id fieri poterit commode:aliter inuocato etiam auxilio brachij sæcularis,si opus fuerit eos capiãt, corrigant,et tanquam apostatas,& rebelles eos puniant, Ex cap. Gen̄,Cre.

3. Examinent inter reliqua in suis visitationibus inuẽtaria,tam sacristię,quam Conuentus,& mobilium, & immobilium, diligenterq; obseruent,an vlla res momẽti sit deperdita,vel Ecclesia, & sacristia á sacrista curentur, & qua,decet,honestate seruẽtur,ac vbi repererint oppositum;de iure prouideant.Ex cap. Gen̄. Cre.

4. Collustrent parietes,& tecta tam Ecclesiarum, quã Conuẽtuum & si quos inuenerint, ruinamminantes,aut iam collapsos,ordinent,vt reficiantur, & reparentur, ne propter negligentiam rectorum,et ministrorum omnia corruant et dilabantur.Ex cap.Gen̄.Cre.

5. Conficiant inuentaria & indices bonorum immobilium quoruncunq;,eaq; describant in libro Prouinciæ, quem secum deferre tenebuntur,ac in arca trium clauiũ dictorum inuentariorum exemplar reponi curẽt,& quo cautior sit eiusmodi nota,& index,procurent, si fieri potest,vt examinentur instrumenta,quibus, dicta bona sint á Religione acquisita,siue sint per donationem, siue per emptionem,aut quouis alio modo:& in dictis indicibus et inuentarijs nomen vendentis,aut donantis, & notarij, qui confecit tale instrumentum,dies,mensis, & annus exprimantur:nam ob incuriam sæpissimè experti fuimus, bona immobilia quam plurima á Religione defecisse.Ex cap, Gen̄.Cre.

6. Videant etiam,an quid fuerit acquisitum,vel si legatum aliquod in fauorem Religionis sit factum , eaq; inuẽtarijs eius monasterij addant, nec ommittãt cognoscere, si quid fuerit venditum,aut quouismodo alienatũ, quod si repererint alienatum,inspiciant,an fuerint seruata ser-

nanda,& prouideant.

7. Examinent,& diligenter inspiciant,ac omnino cognoscere studeant,an Reuerendi Priores fuerint vigiles ad seruandam clausuram?an indulgentiores Regularibus, quam præcipiunt nostra decreta in concedēda venia exeundi?an pœnas à delinquentibus exegerint? an partiales extiterint tam in vestitu concedendo quam in alijs?an officium diuinum suo tempore celebratum?an omnes etiam graduati,potissimum,Prior chorum, & refectoriū frequententur?an alio obsonio quam communitatis vescātur?an in regimine Conuentuum omnia in nostris decretis statuta seruauerint?an fuerint in administratione fideles?an bona religionis dilapidauerint?an quicquam absq; clauariorum cōsilio effecerint?an Priorum officio fungi ausi fuerint?et breuiter,an sint regulę?& constitutionum obseruatores?

8. Curent vt priores,quos absoluere contingerit, reddant rationem tam introitus,& exitus,quám omniū bonorum mobilium,et immobilium,& obseruent,quod supra statutum est.Ex cap.Gen̄.Cre.

9. Præ cæteris autem faciant,vt Conuentus, liber remaneat,à quibuscunq; debitis:quod non anticipatè vendantur redditus,vel exigantur census Monasterij, ac reddantur integrè singulis Religiosis vestiaria, aliter prouideant,pro vt supra statutum est, Ex cap. Ge. Cre.

10. Studeant,vt quam citius fieri poterit,in singulis cōuentibus prouideatur pro singulis Religiosis, de dormitione,victu et vestitu,iuxta ea,quæ à nobis sunt statuta. Ex.cap.Gen̄.Cre.

11. Confessores,quos alias idoneos non nouerint examinent,vt fuit ordinatum,ne quod tanti est æstimandum post habeant:Insuper lectores casuum conscientiæ negligentes corrigant,interrogentq, an ad bonas disciplinas capescendas sint idonei iuuenes nostri? si illis fuit prouisum

uiſum de Magiſtro gramaticæ:ſit tempus ad diſcendum ſuppetit. Ex.cap.Gen̄.Cre.

12. In poſterum ſacris ordinibus non poterunt initiari qui non fuerint inſtructi moribus bonis, doctrina, ætate, et alijs conditionibus in ſacris Canonibus poſitis: neq; vllus abſq; licentia in ſcriptis obtenta Prouincialis, audeat quoſcunq; Ordines, etiam primam tonſuram ſuſcipere, ſub pœna ſuſpenſionis ab Ordine ſuſcepto, et inhabilitatis ad vlteriores. Ex cap. Ge. Cre.

13. Prouinciales pro concedenda huiuſmodi licentia habeant literas teſtimoniales de vita, & moribus eius Religioſi, (vt ſupradictum eſt,) nec nō literas teſtimoniales de legitima ætate, requirant per perſonas fide dignas, & ſi fieri poteſt, per curatum, qui eum baptizauit, eumq; inſuper examinabunt de doctrina, & ſufficientia; maximè circa ſacramenta, & alia neceſſaria cognitu cuilibet chriſtiano: potiſsimum circa Ordinem ſuſcipiendum. Ex cap. Gen. Cre.

14. Et qui repertus fuerit licentiam ſacrorum ordinū dediſſe alicui ante legitimam ætatem, nec debitam adhibuiſſe diligētiam, ſit ipſo facto à ſua functione abſolutus Ex cap. Gen. Cre.

15. Qui ſub quocunq; prætextu, etiam ſummæ neceſsitatis conuentus, vel ſufficientiæ doctrinæ, probitatis morum, aut aliarum rerum; licentiam conceſſerit de ſacris ſuſcipiendis ordinibus ante legitimam ætatem, ſit ipſo facto ab officio abſolutus, & qui vigore talis licentiæ ordines ſuſceperit, de facto ſit ſuſpenſus à diuinis, & ſi in ordine ſacro ſuſcepto miniſtrauit, eſt irregularis. Ex c. Ge. cre

16. Caueant Prouinciales, ne licentiam ſacrorum Ordinum alienæ prouinciæ Regularibus impartiantur, in cō ſulto Prouinciali illius Prouinciæ, vel Priore Generali, licet promouendus in ſua Prouincia maneret, ſub pœna depoſitionis ab officio. Ex cap. Gen̄, Cre.

17 Vbi reuerendissimi ordinarij, aliquod decretum vniuersale in vrbe, vel Diocesi seruandum fecerint pro cultus diuini, vel Ecclesiarum reformatione, licet ab eorum iurisditione simus exempti, iubeant tamen Prouinciales Prioribus eius Diocesis, vt idem obseruent, nam in his, quæ reformationem redolēt, à capite nolumus discrepare. Ex cap. Gene. Cre.

18. Non audeant Prouinciales quemlibet admissum ad habitum conuersorum, & si quacunq; sufficiētia esset prçditus Clericali corona insignire, sub pœna depositionis ab eorum officijs. Ex cap. Gene. Cre.

19. Prouincialis electus poterit exercere officiū suum electione statim habita, tenetur tamen infra annum recipere confirmationem suæ functionis á Reuerendissimo Priore Generali sub pœnis in constitutionibus descriptis. Ex cap. Geñ, Cre,

20. Prouinciales qui officio suo functi fuerint, præcedent omnes alios Magistros Prouinciç, in qua Prouinciales fuerunt, & inter ipsos, qui officium suum terminauerint, seruetur locus á die assumptionis suç ad Prouincialatum. Ex cap. Gene. Cre.

21. Prouinciæ omnes concurrent ad expensās Conuētus Transpontinæ, pro litteris á varijs partibus Romam missis. Ex cap. Gen. Cre.

22. Præcipimus ex decreto Capituli Generalis Placentiæ habito Anno 1575, ne Prouinciales, & capitula Prouincialia audeant statuta condere, quæ restringant Ordinis antiquas constitutiones, aut decreta Generalium comitiorum, aut authoritatē Prioris Generalis, etiam sub nomine maioris reformationis, & obseruantiç, & quç hactenus facta fuerint, irrita esse, et nullius valoris, statuimus, et definimus.

23. Si autem videatur necessarium ad maiorem obseruantiam Capitulis Prouincialibus, vel Prouincialibus, aliqua

quã statuta decernere, illa non obligẽt Regulares nostros, nisi prius visa & approbata fuerint á Reuerendissimo Patro Ordinis. Neq; per hoc intendimus adimere facultatẽ Prouintialibus ordinationes peculiares in aliquibus monasterijs Prouinciæ faciendi, iuxta temporum varietates, & locorum consuetudines, & occasiones emergentes, dummodo contrariæ non sint constitutionibus Ordinis, neq; his nostris decretis, In his enim nolumus quemquã nobis inferiorem dispensare posse.

24. Prouinciales nullas collectas, aut taxas pro sua visitatione recipientá Cõuentibus, sed á tota Prouincia habebunt necessaria pro vestitu & sumptibus itineris, quæcunq; autem Prouinciales à Cõuentibus receperint, siue in pecunia nnmerata, siue in vestibus, siue in alijs rebus quocunq, nomine, in librum distinctum referãtur, in quo fideliter annotentur accepta, expensæq; omnes, de quibus in capitulo Prouinciali exactissimam reddent rationem, super quo diffinitorum conscientiam oneramus, liber autem iste acceptorum, et expensarum Prouincialium affer uetur cum diligentia, ut quoties opus fuerit inspiciantur expensæ.

25. Ne Prouinciales in suis visitationibus plus iusto ag grauent Conuentus, & molestiam inferant Prioribus ordinamus, vt Prouinciales visitationem cuiuscunq; Conuẽtus non protrahant vltra quindecim dies, etiam si sint ibi monasteria monialium, neq; possint commorari in vno Conuẽtu vltra duos mẽses vno quoq; anno sui officij. Nã officium Prouincialium esse debet totam Prouinciã peragrare, & pecoris sui vultum cognoscere, & omnium subditorum necessitates explorare, illisq; vt patres filijs benigne subuenire. Prouincialis, qui secus fecerit per sex menses ab officio á diffinitoribus suspendatur.

26. Teneantur Prouinciales quot annis transmittere ad patrem Ordinis statum suæ Prouinciæ, hoc est numerũ

fratrum, mores singulorum, officia, & exercitia, quibus singuli occupātur, Item nomina defunctorū, & eorum, qui ad habitum de nouó sunt admissi, delicta, & excessus fratrū si qui commisi fuerint, & pœnas talibus delictis inflictas, lites á nobis intentatas contra alios, vel ab alijs contra nos, mutationes fratrum de Conuentu ad Conuentum, et causas mutationum, & quidquid monasterijs de nouó fuerit acquisitum, vel Priorum, aut aliorum fratrum industria, vel hereditaria successione, vel donatione, vel morientium legatis. Vltimo admoneant Patrem Ordinis si Cōuētus fuerint ære alieno grauati, & causas, & si culpa Priorum, aut negligentia aliorum, id factum fuerit, Prouinciales, qui in hoc negligentes fuerint arbitrio Generalis acerrimè puniantur.

29. Ordinamus, præcipimus et mādamus, eos omnes, qui á nobis litteras patentes pro gradu præsentaturę obtinuerunt: non debere potiri, frui, & gaudere priuilegijs & gratijs præsentatis debitis: nisi prius gradu licenciaturę in aliqua approbata vniuersitate, fuerint condecorati.

30. Item præcipimus, Bachalaureos precedere sacerdotes simplices: vt nostra cōstitutio decernit sed non omnes, sed eos dum taxat, qui viginti annos á die sue professionis in Ordine non compleuerunt.

31. Et quoniam statuta quotidie condere parum conducit, nisi adsit ipsorum vindis obseruantia, pręcipimus in virtute sanctę obedientiæ Reuerendis Prouincialibus. & Prioribus Hispaniæ, & Lusitaniæ, vt hæc nostra decreta nuper edita, imo antiqua nostrarum legum saluberrima statuta, & Generalium comitiorum vtilissimas sanctiones ab omnibus Regularibus nostris obseruari contendant, Si vero Reuerendi Prouincialis, & Priores id facere neglexerint, primum maledictionem omnipotentis Dei incurrant, & nos pœnas negligentiæ suo tempore

exigere

exigere curabimus.

32. Et quoniam nimia legum, & statutorum varietas confusionem non modicam peperit in nostris Hispaniarum, & Lusitaniæ Prouincijs, nos ex authoritate Appostolica nobis cõcessa reuocamus, et reuocata declaramos omnia statuta, et decreta quorumcunq; prędecessorum nostrorum, etiam visitatorum Apostolicorum quacunq; authoritate, & dignitate fulgentium, imo et Nunciorum Apostolicorum, volumus vt deinceps Regulares nostri tam superiores in præcipiendo, quam inferiores in obediendo, antiquas Ordinis constitutiones ad formam sancti Concilij reddactas, et hæc nostra statuta omnino sequãtur.

Aduertãt autem nostrarum legũ diligentes indagatores, nostræ fuisse intentionis in his nostris decretis, antiqua Ordinis statuta, vel temporum iniuria, vel Prælatorum nimia indulgentia, uel subditorum negligentia collapsa instaurare, in quantum pręsentia tempora patiuntur. Quod si alicubi ab antiquis nostris constitutionibus deuiare cõspexerint, id maioris reformationis gratia factum existiment.

33. Quando in his statutis non statuitur pœna contra transgressores, prelati eam adhibebunt iuxta formam cõstitutionum nostrarum, cõsiderata qualitate excessuum, et habita ratione personarum, non excedẽtes paternam et Regularem correctionem.

FINIS.

# CLEMENS PP. VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tanquã Aaron, & à regularis uitæ insti uto ualde alienum est, ut Religiosi uiri, quos honorum & dignitatũ gradus sanctitate vitæ, ac alijs religiosis virtutibus potius promereri, quàm appetere, eosq; gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosq; humiliter administrare decet, mẽdicatis sæcularium, præsertim personarum studijs, ad eos sibi aditum patefacere cõtendant. Vnde magna in Ecclesia Dei pernicies adferri solet. Nos, qui pro muneris nostri debito in hoc potissimũ laborare non desistimus, ut Ecclesiastica, regularisq; disciplina pristino candori restituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus. Cum itaque, sicut accepimus, quidam in ordine Carmelitarum, professionis & regulæ, quam professi sunt, penitus immemores, nimiaq; dignitatum, & officiorũ Ecclesiasticorum in dicto ordine consequendorũ ambitione ducti pro ijs consequendis ecclesiasticorum, & Sæcularium Principum studia requirũt, & à Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalibus, alijsq; Prælatis cõmendatitias literas, aliosq; fauores, & gratias propterea expetant, quibus adiuti, quos sibi ex se promeruisse minimè confidunt, gradus, & dignitates in eodem Ordine consequi ualeant, sicq; eiusdem ordinis quietem non sine animarum suarum periculo perturbant. Nos malum hoc ab eodem ordine, cuius prosperum regimen, & incrementũ ad ecclesiæ sanctæ utilitatem sinceris exoptamus affectibus pro nostra Pastorali sollicitudine propellere summoperè cupiẽtes. Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnes & singulos fratres dicti Ordinis cuiuscunq; status, gradus, conditionis, preeminentiæ qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero ad prelaturas, gradus, honores dignitates administrationes, functiones, & alia officia dicti ordinis assequẽda intenti ad Principum & Prælatorum atq; aliarum quarumcunq; personarum tàm sæcularium, quàm ecclesiasticarum de gremio dicti ordinis non existentiũ etiam Cardinalatus honore, ac quacunq; sæculari dignitate, & excellentia, etiã Imperiali, Regali, & Ducali fulgẽtiũ fauores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, alijsq; vijs directè, vel indirectè palàm, vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aspirauerint, vel alijs minimè legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiuerint, aut etiam spontè oblatis, & minimè cẽquisitis usi fuerint, illorumq; complices, & fautores ad quascunq; Prælaturas, dignitates & officia, gradusq; honores, administrationes, & munera in ipso ordine obtinẽda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus & officijs huiusmodi, eo ipso priuamus, ac priuatos uoce tã actiua, quã passiua carere decernimus, & declaramus, atq; in virtute

sanctæ

*sanctæ obediẽtiæ, ac sub excõmunicationis latę sentẽtiæ pœna omnibus dicti ordinis fratribus, Superioribus, & Prælatis quocunq; titulo nuncupatis, etiã Generali præsentibus, & futuris præcipimus, districteq; mãdamus, ne quempiã ullo tẽpore precibus, literis, uel fauoribus adducti, vel alias ad instantiã, seu requisitionẽ uel contemplationẽ Principũ, uel Prælatorũ, aut aliorũ quorumcũq; tã secularium, quàm ecclesiasticorũ extra dictũ gremium existentiũ etiã Cardinaliũ, Imperatoris, Regum, & Ducum ad cuiusuis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates administrationes, functiones, & officia prædicti ordinis promouere, uel pœnas aliquas remittere audeãt, seu præsumãt. Decernẽtes electiones, & promotiones ad Monasteria, seu Prioratus, uel officia dicti ordinis cõtra præsentiũ dispositionẽ (quod absit) quãdocunq; faciendas: & pro tẽpore obtẽtas nullas prorsus, inualidasq; fore, & esse, nullisq; uiribus substitutas, omnes, & singulos in præmissis delinquẽtes nulla alia monitione præcedẽte, & absq; processu desuper habẽdo, sentẽtias & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ad illos sentẽtias: & pœnas præmissas damnabiliter incurrisse legitimè probãdũ, et omnino cõuincendũ solas præmissarum personarum instancias, preces, et fauores etiã oretenus porrectas, plenã, indubiam, et sufficientẽ in iudicio, et extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri. Et ita per quoscunq; iudices, & Cõmissarios quauis auctoritate fungentes, etiã causarũ palacij Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, sublata eis: & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretãdi facultate. & auctoritate iudicari, ac difiniri debere, ac irritũ quoque, et inane si secus super his à quoquã quauis auctoritate scienter, vel ignorãter contigerit attẽtari. Nõ obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus cõstitutionibus: et ordinationibus, ac ordinis huiusmodi iuramẽto, cõfirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & cõsuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis; & literis Apostolicis in contrariũ quomodolibet cõcessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorũ tenores præsentibus pro expressis habẽtes, illis aliàs in suo robore permãsuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus; cõtrarijs quibuscũque. Aut si prædictis fratribus, uel quibusuis alijs cõmuniter, uel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quód interdici, suspẽdi, uel excõmunicari nõ possint per literas Apostolicas nõ facientes plenam, & expressam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mẽtione. Vt autẽ harum literarum notitia ad omnes dicti ordinis fratres facilius deueniat. Volumus illas in Generali Capitulo, seu Dieta dicti ordinis publicè legi, illasq; in dicto Capitulo, vel Dieta lectas sic arctare, ac si legitimè unicuiq; intimatæ fuissent, illarumq; exẽplis, vel impressis manu Scribæ dicti Capituli, uel Notarij publici subscriptis, & sigillo Rectoris Generalis dicti ordinis, uel alterius in dignitate Ecclesiastica constituti obsignatis, eandem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eadẽ exhiberentur, Dat. Tusculi sub annulo Piscatoris, die. 21. Maij. 1593. Põtificatus nostri. Anno secundo.*

*M. Vestrius Barbianus.*

10

uzzola, & observat.

56